This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

5271
36

Digitized by Google

5271,36

Harvard College Library

THE GIFT OF

STEPHEN SALISBURY,

OF WORCESTER, MASS.

(Class of 1817.)

18 May 1901.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUID

DE STRUCTURA RHETORICA

Praeceperint Grammatici atque Rhetores Latini

Digitized by Google

Digitized by Google

QUID

DE STRUCTURA RHETORICA

Praeceperint Grammatici atque Rhetores Latini

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS

Henri
H. BORNECQUE

SCHOLAE NORMALIS OLIM ALUMNUS
NUNC IN LYCAEO CASTELRUDOLPHIENSI PROFESSOR

PARISIIS
APUD AEM. BOUILLON, BIBLIOPOLAM
67, VIA DICTA DE RICHELIEU, 67

1898

Digitized by Google

527,36

HARVARD COLLEGE
MAY 18 1901
LIBRARY

Salisbury fund

Digitized by Google

MAGISTRO · MEO · H · GOELZER

GRATI · REVERENTISQUE · ANIMI · PIGNUS

D · D · D

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO

Etsi pauci ex recentioribus[1] de clausula rhetorica scripserunt, plurimi latini cum rhetores tum grammatici de hac rhetoricae artis parte praecepta prodiderunt, alii, ut Vergilii uerbis utar, « summa sequentes fastigia rerum », alii copiosius et accuratius[2]. Mihi igitur non inutile uisum est haec omnia contrahere ac simul diversa separare, ut iis qui clausulae rhetoricae operam sint daturi omnia praecepta ab antiquis exposita, uelut in corpus redacta, inuenire liceat. Hoc tantum mihi proposui, nedum mihi in animo fuerit noua explicare. Igitur, in hoc opere, « disiecti membra » Ciceronis aut Quintiliani facillime reperias.

Praeterea eos qui hunc librum excutient memoria tenere necesse est, me de *clausula* solum et de *numero,* cum ad clausulam pertinet, sed numquam *de his quae numerosa sunt* locutum esse. Scribit enim Tullius in *Oratore* (181) : « Deinde,

1. Cf. indicem bibliographicum et praefationem thesis gallicae : *La prose Métrique dans les lettres de Cicéron.* Inter omnes libros quos laudaui, maximam utilitatem mihi praebuit Caroli Josephy opus, qui haec properans percurrit, quippe qui praesertim Isocratis et Demosthenis oratorium numerum uellet accuratius exponere.

2. Cf. p. III : qui, auctores quibusque in locis de clausula locuti sint.

Digitized by Google

quod dicitur in oratione numerosum, id utrum numero solum efficiatur [quaeri potest], an etiam uel compositione quadam uel genere uerborum, an sit suum cuique, ut numerus interuallis, compositio uocibus, genus ipsum uerborum quasi quaedam forma et lumen orationis appareat, sitque omnium fons compositio ex eaque et numerus efficiatur et ea, quae dicuntur orationis quasi formae et lumina, quae, ut dixi, Graeci uocant σχήματα[1]. » Quid sit clausula, hoc tantum curo : cetera omitto, quae doctrinam rhetoricae clausulae non attingunt. Quae de numero et praesertim de clausula a grammaticis rhetoribusque latinis praecepta sunt distincte euoluisse nunc mihi satis erit.

La-Chapelle-sous-Rougemont

XII a. Kalendas Septembres, anno 1897.

1. Cf. Causeret, *Étude sur la langue de la rhétorique et de la critique littéraire dans Cicéron*, p. 133 sqq.

Digitized by Google

QUI AUCTORES[1] QUIBUSQUE IN LOCIS DE CLAUSULA LOCUTI SINT[2].

M. Tulli Ciceronis *Orator*, § 168 usque ad finem[3] — *de Oratore*, III 172-199.

Caesi Bassi, *de compositionibus* (Keil VI 310, 30-312, 2)[4]. [Claudi ac Neronis aequalis.]

M. Fabi Quintiliani *Institutio oratoria* IX 4, exceptis 117 usque ad finem.

M. Valeri Probi Berytii, *De Catholicis*, III 15 — IV 7, *de Structura*. (Keil IV 40, 15-43, 30). [Excerpta quarto saeculo composita ex opere M. Valeri Probi (Cf. Keil IV p. XXVI), qui uixit primo post Christum saeculo[5].]

1. Hic eos non nomino quos quasi praeteriens unoque loco laudaui.

2. Cur simul cum rhetores, tum grammatici structuram rhetoricam tractauerint, exponit Diomèdes (I 464, 28) : « Tametsi prosae orationi conuenire et ad oratorias uirtutes pertinere artium rhetoricarum praeceptores adserunt, ita ut auctoritas Tulliana testatur, tamen, quia et particulam attingit artis grammaticae, huic etiam adplicare pro simplicitate ingenii non absurdum putaui. »

3. Quod ad *Oratorem* ac *de Oratore* attinet, numeri sunt paragraphorum, non capitulorum. Cum res in tertio operis, quod *de Oratore* inscribitur, libro inueniantur omnes, nullus est laudatus numerus libri. Item ad Quintilianum, cum de libro nono desumpti sint omnes loci.

4. Omnibus grammaticis quorum Keil collegit libros numeri congruunt cum uolumine, pagina et linea operis, ab illo doctissimo uiro editi.

5. De temporibus, cf. Job, *de grammaticis uocabulis* sqq. et Pichon, *Histoire de la littérature latine*, 1897. — Ceterum quo tempore plerique hi auctores uixerint, nonnisi uagis indiciis circumscribi potest.

Digitized by Google

Fragmentorum Bobiensium auctor, *de Structuris* (VI 627, 1-629, 7, *de Rhythmo* VI 631, 14-632, 12). [Hoc opus, si Keilio credas, (VI 618 sqq.) composuit Iuba, qui Marco-Aurelio imperante uitam duxit.]

M. Ploti Sacerdotis *Artes Grammaticae*, II 179-192. (Keil VI 492, 25-495, 26.) [Opera composuit circa Diocletianum.]

Diomedis *Ars Grammatica.* II *De conpositione* (Keil I, 464, 25-471, 29), *de qualitate structurae* (Keil I 471, 30-472, 9). [Scripsit medio quarti post Christum saeculi.]

Rufini *commentarius de compositione et de metris oratorum* (Keil VI 565, 8-578, 8). [Vixit ad finem quarti aut circa initium quinti post Christum saeculi (Keil VI 553)].

Martiani Capellae *de arte rhetorica,* §§ 35-37 (Halm 476-477). [Vixit initio quinti post Christum saeculi.]

Iuli Victoris *Ars rhetorica,* cap. XX (Halm 433). [Vixit eodem fere tempore quo Martianus Capella.]

Digitized by Google

QUIBUS VOCABULIS USI SINT RHETORES ATQUE GRAMMATICI.

Ut dilucide monstrauit Causeret, in opere cui nomen inscribitur : *Élude sur la langue de la rhétorique et de la critique littéraire dans Cicéron* (127 sqq.), *numerus* est quod Graeci uocabant ῥυθμός. Hoc uerbum aequalibus Quintiliani non placebat (53) : « Cicero frequentissime dicit totum hoc [ῥυθμόν] constare numeris; ideoque reprehenditur a quibusdam, tamquam orationem ad rhythmos alliget. Nam sunt numeri rhythmi, ut et ipse constituit, et secuti eum Vergilius, cum dicit : *Numeros memini, si uerba tenerem* et Horatius : *Numerisque fertur Lege solutis*... Ego certe, ne in calumniam cadam, qua ne M. quidem Tullius caruit, posco hoc mihi, ut, cum pro composito dixero numerum et ubicumque iam dixi, *oratorium* dicere intelligar. » Eadem ac *numerus* significant uerba *numeri, modus, modi, numeri ac modi,* aut, quod omisit Causeret, *compositio* siue *perfectio* (*O.* 228), ut Quintilianus (IX 4, 55) et Gellius (I 7, 20) uerbo *componere* utantur ad designanda quae numero uincta sunt. *Modificata, moderata, numerosa, numero astricta, uincta, coacta,* etiam *apta* (*Brutus* 68) dicuntur membra, in quibus numerum ac modum inuenias, *soluta, dissoluta, fluentia, immoderata* ea quibus non adjunctus est numerus.

Numerus uero, tantum in conclusione sententiae positus, quod gallice nominamus « *prose métrique* », apud Latinos uocatur *clausula, structura, structura rhetorica* (Rufinus VI

Digitized by Google

566, 6), *compositiones* (Juba VI 627, 2), *terminationes* (Probus IV 40, 17), *conclusiones* (Capella 476, 18). Quodam loco, Maximus Victorinus (Keil VI 192, 5) *clausulam, compositionem* et *structuram* distinguere tentauit, dum scribit : « Clausula quid est ? Compositio uerborum plausibilis structurae exitu terminata. » Sed reuera his omnibus uocibus omnes nullo discrimine utuntur.

Sententiam clausula terminare uocant *aptare* (*Brutus* 68 — Capella 476, 6), *concludere* (Capella 476, 8), *struere*, quod uerbum auctori fragmentorum Bobiensium (VI 629, 3), Probo (IV 40, 21) et Sacerdoti (VI 493, 2) idem ualet ac *componere*, unde nata sunt uocabula *structores* et *compositores*.

De pedibus notare expedit pedem quem uocamus *trochaeum* a Cicerone (*D. O.* III 183 — *O.* 193, 217) Quintilianoque (IX 4, 80) uocari *choreum*[1]. Contra tribrachy nomen trochaeum assignant. « Tres breues trochaeum [efficiunt], quem tribrachyn dici uolunt qui choreo trochaei nomen imponunt. » (Quint. *l. c.*) Apud grammaticos inuenias — raro quidem — nomen choreum[2] trochaeo datum, sed numquam tribrachys trochaeus appellatur. Tandem utuntur et *amphimacro* et *cretico* uocabulis, ut designent pedem qui longa, breui constat iterumque longa.

1. Quidam etiam tribrachyn hunc pedem nominabant. Cf. Dion. Halic. *de comp. uerb.* 17.

2. Quidam utuntur forma *chorius*, sicut *spondius* apud alios reperias. Item Cicero in *Oratore* scribit *paean*, verbum graecum imitatus, *paeon* in *de Oratore ;* Quintilianus *paeon* usurpauit et ceteri, quorum opera adhibuimus. Plerumque legas *tribrachys, tribrachyn* ; *amphibrachys, amphibrachyn ;* sed quidam insumunt *tribrachus, tribrachum; amphibrachus, amphibrachum* itemque reperiuntur *anapaestus, anapaestos; anapaestum, anapaeston; amphimacrum, amphimacron, trochaeon.* Formas usurpaui quae, diversis indiciis ducto, optimae mihi uisae sunt : *paeon, spondeus, tribrachys, amphimacrum, anapaestum, trochaeum.* Adhibui tandem formam *monosyllabon,* non *monosyllaba,* qua utitur Martianus Capella (476, 15 sqq.).

Digitized by Google

QUIBUS LIBRIS USUS SIM.

I. *Rhetorum et grammaticorum editiones.*

ARISTOTELIS *Rhetorica,* ed. Spengel, 1867, Lipsiae, B. G. Teubner, 2 vol. in-8° — ed. Cope-Sandys, 1877, Cambridge, University Press, 3 vol., in-8°.

DIONYSI HALICARNASSENSIS *de Compositione uerborum,* ed. H. Schaefer, 1808, Lipsiae, Weidmann, 1 vol. in-8°.

CICERONIS *Brutus*, ed. J. Martha, 1892, Paris, Hachette et Cie, 1 vol. in-8°.

CICERONIS *de Oratore* libri tres, ed. A. S. Wilkins, 1895², 1881, 1892, Oxford, Clarendon Press, 3 vol. in-8°.

CICERONIS *Orator*, ed. O. Jahn, 1869, Berlin, Weidmann, 1 vol. in-8°.

QUINTILIANI *de Institutione oratoria libri duodecim* ed. L. Spalding, 1808, Lipsiae, Siegfried Lebrecht Crusius, 4 vol. in-8°. — ed. E. Bonnell, 1883, Lipsiae, B.-G. Teubner, 2 vol. in-12.

TACITI *dialogus de Oratoribus,* ed. H. Goelzer, 1887, Paris, Hachette et Cie, 1 vol. in-8°.

GRAMMATICI LATINI, ed. H. Keil, 1857-1878, Lipsiae, B. G. Teubner, 7 vol. in-8°.

Digitized by Google

RHETORES LATINI MINORES, ed. C. Halm, 1863, Lipsiae, B. G. Teubner, 1 vol. in-8°.

II. *Recentiorum libri.*

G. AMMON, *de Dionysii Halicarnassensis librorum rhetoricorum fontibus,* 1889, München (progr.), in-8°, 114 p.

G. AMSEL, *de ui atque indole rhythmorum quid ueteres iudicauerint,* 1886, Vratislauiae (diss.), in-8°, 54 pp.

G. E. BENSELER, *de hiatu in oratoribus atticis,* 1841, Fribergae, J. G. Engelhardt, in-8°, XIX-561 pp.

BERNHARDT, Begriff u. Grundform d. griech. Periode, 1854, Wiesbaden (progr.), in-4°, 32 pp.

FR. BLASS, *die Attische Beredsamkeit,* 1874, Leipsig, B. G. Teubner, vol. II.

F. BOELTE, *de artium scriptoribus latinis quaestiones,* 1886, Bonn (diss.), in-8°, 54 p.

C. CAUSERET, *étude sur la langue de la rhétorique et de la critique littéraire dans Cicéron,* 1886, Paris, Hachette et Cie, in-8°, 245 pp.

E.-M. COPE, *An introduction to Aristotle's Rhetoric,* 1867, London and Cambridge, Macmillan and Co, in-8°, XVI-464 pp.

F. V. FRITZCH, *de numeris orationis solutae,* 1875, Rostochii, Litteris Academicis Adlerianis, in-4°, 22 pp.

O. FROEHDE, *de C. Iulio Romano Charisii auctore,* 1892, Lipsiae, B. G. Teubner (commentatio ex supplementis annalium philologicorum seorsum expressa, X 567-672, 1 vol. in-8°).

Digitized by Google

O. Froehde, *die Anfangsgruende der roemischen Grammatik*, 1892, Leipsig, B. G. Teubner, in-8°, 141 pp.

G. Goetz, *Bericht über die Erscheinungen auf dem Gebiete d. lat. Grammatiker für die Jahre* 1877-1890. Jahresbericht Bursian-Müller, LXXVIII (1891), pp. 119-170.

C. F. Hermann, *de Thrasymacho Chalcedonio Sophista*, 1848, Gottingae (progr.), in-4°, 15 pp.

L. Jeep, *die jetzige Gestalt der Grammatik des Charisius*, Rhein. Musaeum, N. F. LI (1896), pp. 401-440.

H. Jentsch, *Aristotelis ex arte rhetorica quaeritur quid habeat Cicero*, s. d., Berlin (diss), in-8°, 60 pp.

L. Job, *de grammaticis uocabulis apud latinos*, 1893, Lutetiae Parisiorum (thesis latina), in-8°, 188 pp.

C. Josephy, *der oratorische Numerus bei Isokrates u. Demosthenes*, 1887, Zurich (diss.), in-8°, 124 pp.

H. Kummrow, *Symbola critica ad grammaticos latinos*, 1880, Gryphiswaldiae (diss.), in-4°, 58 pp.

H. Lantoine, *de Cicerone contra oratores atticos disputante*, 1874, Parisiis (thesis latina), in-8°, 86 pp.

K. Marschall, *de Q. Remmii Palaemonis libris grammaticis*, 1887, Lipsiae (diss.), in-8°, 88 pp.

E. Meyer, *Quaestiones grammaticae ad Scauri artem restituendam spectantes*, 1885, Iena (diss.), in-8°, 70 pp.

C. A. Morawski, *Quaestiones Quintilianeae*, s. d., Posnaniae (diss.), in-8°, 70 pp.

Iwan Müller, *Bericht über die Literatur zu Quintilian aus*

Digitized by Google

den Jahren 1873-1876. Jahresbericht Bursian-Müller, XVI (1876), pp. 262-293.

Ern. Mueller, *de numero Ciceroniano*, 1886, Berolini (diss.), in-8°, 58 pp.

H. Fr. Neumann, *de Plinii dubii sermonis libris et Prisciani fontibus*, 1881, Kiel (diss.), in-8°, 64 pp.

Abbé d'Olivet, *Traité de la prosodie française*, (Article V, p. 115 sqq. éd. de 1767).

K. Peters, *de Isocratis studio numerorum*, pp. 8-19, ex muneribus in honorem G. C. H. Raspe, 1883, Parchimii, Gerlach, in-4°, 24 pp.

F. Plessis et J. Poirot, *Calvus, avec un essai sur la polémique de Cicéron et des Attiques*, 1896, Paris, C. Klincksieck, in-8°, iv-110 pp.

H. Rabe, *de Theophrasti libris* περὶ λέξεως, 1890, Bonn (diss.), in-8°, 48 pp.

A. Schmidt, *zur Lehre v. oratorischen Numerus*, 1858, Mannheim (progr.), in-8°, 48 pp.

C. Steiner, *de numero oratorio*, 1850, Posen (progr.), in-4°, 52 pp.

H. Steinthal, *Geschichte d. Sprachwiss. bei d. Griechen u. Römern mit besonderer Rücksicht auf die Logik*, 1890 et 1891, Berlin, F. Dümmler, 2 vol. in-8°, xvi-374 pp., xii-368 pp.

P. Teichert, *de fontibus Quintiliani rhetoricis*, 1884, Brunsbergae (diss.), in-8°, 58 pp.

R. Volkmann, *die Rhetorik d. Griechen u. Römer*, 1885², Leipzig, B. G. Teubner, in-8°, xvi-596 pp.

Digitized by Google

H. WENTZEL, *de Iuba metrico,* 1881, Oppeln (progr.), in-4°, 42 pp.

G. WUEST, *de clausula rhetorica quae praecepit Cicero quatenus in orationibus secutus sit.* Dissertationes philologicae Argentoratenses selectae, V (1881), 227-328.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS I

DE NUMERO

1. Cicero, in *Oratore* (173) ait se expliciturum primo originem, deinde causam, tandem usum ipsum orationis aptae atque numerosae. Omittam originem aptae orationis, de qua alia in parte huius libri dicendum nobis erit[1] nec operam dabo ut inspiciam, Ciceronis exemplo, communesne sint numeri omni generi orationis annon, cum tantummodo studeamus clausulae, quae, omnibus operibus, semper, ut uidetur, eadem est. Igitur quaeram, ducibus auctoribus quos supra laudaui[2], primum sitne numerus oratorius et unde natus sit, postea similisne sit poeticis numeris annon, tandem qua sententiae parte ponendus sit.

I. Quae sit numeri causa.

2. Esse in oratione numerum quemdam non posse negari credit Cicero (*O.* 183-184), etsi quibusdam non uidetur (*O.* 180), « quia nihil insit in ea certi ut in uersibus, et quod ipsi qui affirmant esse eos numeros, rationem cur sint non queant reddere. » Non est quidem ratio cur in oratione sit numerus. Ad

1. Cf. pars IV : *quid de origine ac historia clausulae nos docuerint grammatici ac rhetores latini.*
2. Cf. p. III, *qui auctores,* sqq.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS I

DE NUMERO

1. Cicero, in *Oratore* (173) ait se expliciturum primo originem, deinde causam, tandem usum ipsum orationis aptae atque numerosae. Omittam originem aptae orationis, de qua alia in parte huius libri dicendum nobis erit[1] nec operam dabo ut inspiciam, Ciceronis exemplo, communesne sint numeri omni generi orationis annon, cum tantummodo studeamus clausulae, quae, omnibus operibus, semper, ut uidetur, eadem est. Igitur quaeram, ducibus auctoribus quos supra laudaui[2], primum sitne numerus oratorius et unde natus sit, postea similesne sint poeticis numeris annon, tandem qua sententiae parte poni dus sit.

I. Quae sit numeri causa.

2. Esse in oratione numerum quemdam non [illegible] credit Cicero (*O.* 183-184), etsi quibusdam non [illegible] « quia nihil insit in ea certi ut in uersibus [illegible] affirmant esse eos numeros, rationem cur sint [illegible] dere. » Non est quidem ratio cur in oratione [illegible]

1. Cf. pars IV : *quid de origine ac historia clausulae* [illegible] *lici ac rhetores latini.*
2. Cf. p. III, *qui auctores,* sqq.

Digitized by Google

numerum fert natura sicut ad uersus, ut ii, quos Graeci λυρικοί nominant, aut comicorum senarii saepe dici possint carmen solutum aut oratio mera. Sine dubio numerus aptior est in versibus; orationi tamen inest, natura ipsa creatus. « Nihil est tam cognatum mentibus nostris quam numeri atque uoces (*D. O.* 197)[1]. »

3. Attamen, rem si propius inspexeris, reperies numerum consequi simul delectationem et utilitatem ac prope necessitatem. Inter uerba sunt respirationes, breues quidem, sed magni momenti, quoniam « est ipsa diuisione uerborum latens tempus » (Q. 98), ut *criminis causa* apte cadat, non *balneatori*, qui ex isdem temporibus tamen constat (Q. 64, 65, 97)[2]. Hae distinctiones multo etiam apertiores sunt in fine circuituum (*D. O.* 191), unde natae sunt clausulae. « Clausulas... atque interpuncta uerborum animae interclusio atque angustiae spiritus attulerunt : id inuentum ita est suaue, ut, si cui sit infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare uerba nolimus ». (*D. O.* 181). Has clausulas ueteres iubebant « interspirationis... non defatigationis nostrae neque librariorum notis, sed uerborum et sententiarum modo interpunctas... in orationibus esse... » (*D.O.* 173). Eadem scribit Tullius in *Oratore* (228) : « Oratio... non aut spiritu pronuntiantis aut interductu librari, sed numero coacta debet insistere... » Addit etiam (*D. O.* 175) nullam rem magis oratorem a causidico distinguere, quam quod ille « id, quod dicit, spiritu, non arte determinat, orator autem sic inligat sententiam uerbis, ut eam numero quodam complectatur et astricto et soluto. »

4. Sed ad oratorium numerum Flacci uersus transferri potest :

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

1. Cf. *Orator*, 58 : « ipsa natura, *quasi modularetur hominum orationem*, in omni uerbo posuit acutam uocem... »
2. Quintilianum imitatus est Diomedes (I, 469, 15), ut eadem exempla redderet.

Digitized by Google

Etenim numerus non modo satietati aurium occurrit, sed etiam delectat eas. Hoc reddit Tullius multis modis, quos enumerare pretium est operae. (*D. O.* 185) « Nam si rudis et impolita putanda est illa sine interuallis loquacitas perennis et profluens, quid est aliud causae cur repudietur, nisi quod hominum auribus uocem natura modulatur ipsa[1] — (*O.* 157) Consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor — (159) Voluptati... aurium morigerari debet oratio — (162) Vocum et numerorum aures sunt indices — (163) Duae sunt... res, quae permulceant aures, sonus et numerus — (168) Quod [genus aptae et numerosae orationis] qui non sentiunt quas aures habeant aut quid in eis hominis simile sit nescio — (177-178) Aures... uel animus aurium mentio naturalem quandam in se continet uocum omnium mensionem. Itaque et longiora et breuiora iudicat et perfecta ac moderata semper exspectat; mutila sentit quaedam et quasi decurtata, quibus tamquam debito fraudetur, offenditur, productiora alia et quasi immoderatius excurrentia, quae magis etiam aspernantur aures; quod cum in plerisque, tum in hoc genere nimium quod est offendit uehementius quam id quod uidetur parum. Ut igitur uersus inuentus est terminatione aurium, sic in oratione animaduersum est, multo illud quidem serius, sed eadem admonente natura, esse quosdam certos cursus conclusionesque uerborum — (*Brutus*, 34) Aures ipsae quid plenum, quid inane sit iudicant. » Eadem Quintilianus (116), qui secutus est Ciceronem : « Optime... de illa [compositione] iudicant aures, quae plena sentiunt et parum expleta desiderant et fragosis offenduntur et leuibus mulcentur et contortis excitantur et stabilia probant, clauda deprehendunt, redundantia ac nimia fastidiunt. »

5. Argumento est quod imperitum uulgus et tunicatus popellus exclamat, cum apte uerba cadunt (*O.* 168). Exemplum appo-

1. Cf. § 2 n.

Digitized by Google

nit Cicero dichoreum *comprobauit*, qui « tanto clamore contionis acceptus est, ut mirabile esset (*O.* 214). » Rursus, « in his, [numeris et modis] si paulum modo offensum est, ut aut contractione breuius fieret aut productione longius, theatra tota reclamant (*D. O.* 196). » Addit paulo infra (*D. O.* 198) : « ut in uersu uolgus, si est peccatum, uidet, sic, si quid in nostra oratione claudicat, sentit. » In *Oratore* isdem prope uerbis utitur (173) : « In uersu quidem theatra tota exclamant, si fuit una syllaba aut breuior aut longior. Nec uero multitudo pedes nouit nec ullos numeros tenet nec illud quod offendit, aut cur aut in quo offendat intellegit; et tamen omnium longitudinum et breuitatum in sonis sicut acutarum grauiumque uocum iudicium ipsa natura in auribus nostris collocauit. »

6. Nunc intellegere possumus huic numero, tam efficaci audientium animis, posthabendos esse et casus (Q. 59) et formas uocabulorum : *uitauisse* uel *uitasse*, *deprendere* uel *deprehendere* (Q. 60) et ordinem uerborum (Q. 26). « Verbo sensum cludere. multo, si compositio patiatur, optimum est... Si id asperum erit, cedet haec ratio numeris, ut fit apud summos Graecos Latinosque oratores frequentissime. » Denique Quintilianus sinit scriptores usurpare ad numerum capessendum, « quidquid sententiis aut elocutioni non nocebit (29)[1]. » Tullius quidem ita sentiebat (cf. Gell. I 7, 18) ipse. Quidam apud eum « in potestatem » ut soloecismum reprehendebant. Monstrat Gellius nullum esse solœcismum et addit : « Ut et rationem autem istam missam faciam et auctoritates, sonus tamen et positura ipsa uerborum satis declarat, id potius ἐπιμελείᾳ τῶν λέξεων modulamentisque orationis M. Tullii conuenisse, ut, quoniam utrumuis dici latine posset, *potestatem* dicere mallet, non *potestate*. Illud enim sic positum iucundius ad aures com-

1. Cf. Diomedem I 468, 15. « In conlocatione uerborum aptiora et tam ordini quam uiribus congruentia contrahere debemus, sic tamen ut potiora sint utilia dure ocata compositis inutilibus. »

Digitized by Google

pletiusque, insuauius hoc imperfectiusque est, si modo ita explorata aure homo sit, non surda nec iacenti; sicuti est hercle, quod *explicauit* dicere maluit quam *explicuit*, quod esse iam usitatius coeperat[1]. »

II. Quae sit numeri natura.

7. Etsi, ut Fritzchius maximo iudicio scripsit[2], Tullius et Fabius mutuati sunt a graecis philosophis quod de *numeris* dicebant, cum ipsi Romani in structuris *metricos pedes* tantummodo curarent, non inutile esse arbitratus sum haec omnia exponere, quae Cicero et Quintilianus de rhythmo ediderint, quia et ipsi a ceteris rebus ad clausulam pertinentibus ea non modo non sejungunt[3], immo ex iis quae rhythmum spectant, de clausulis praecepta ducunt.

8. Cum Cicero quaerit utrum numeri orationis solutae poeticine sint an ex alio genere quodam, nulla interposita dubitatione respondet : « Nullus est... numerus extra poeticos, propterea quod definita sunt genera numerorum (*O.* 188). » Iam antea scripserat auctor qui *ad Herennium Rhetoricam* composuerat, siue Cornificius, siue alius quis (IV 32, 44) : « in quibus [periodis] oportet uerba sicuti ad poeticum quemdam extruere numerum, ut perfecte et perpolitissime possint esse absolutae[4]. »

9. Attamen quodammodo oportet numerum oratorium a uersibus esse dissimilem. Qua in re differant, alias exposuit Tullius (*O.* 228). « Numerus... est non modo non poetice uinctus, uerum etiam fugiens illum eique omnium dissimillumus; non quin

1. Cf. XIII 20.
2. *De numeris orationis solutae*, p. 15.
3. Ceteri separatim locuntur de structuris et de rhythmo. Quidam etiam de rhythmo disserunt, sicut Atilius Fortunatianus et Marius Victorinus, de structuris autem silent.
4. Notandum est Cornificium inter Atticos oratores poni, qui Tullio aduersabantur.

Digitized by Google

eidem sint numeri non modo oratorum atque poetarum, uerum omnino loquentium, denique etiam sonantium omnium, quae metiri auribus possumus, sed ordo pedum facit ut id quod pronunciatur aut orationis aut poematis simile uideatur. » Igitur in uersibus est ordo certus, extra quem nil potest esse; in soluta oratione, nullus est modus, nullus ordo pedum (cf. *Orator* 198). Eadem elucent in *de Oratore* (184). « Liberior est oratio et plane, ut dicitur, sic est uere soluta, non ut fugiat tamen aut erret, sed ut sine uinculis sibi ipsa moderetur. » Ex his colligit Tullius, quod mirandum sane uidebitur, difficilius esse oratione uti quam uersibus, « quod in illis certa quaedam et definita lex est, quam sequi sit necesse, in dicendo autem nihil est propositum, nisi ut ne immoderata aut angusta aut dissoluta aut fluens sit oratio (*O.* 198). »

10. Aliam differentiam addidit Palaemon, uel auctor qui Palaemonem exscripsit, rhythmum per se sine metro esse posse, metrum sine rhythmo esse non posse, id est metrum partem esse rhythmi (Keil VI 206 sqq.). Hoc iam dixerat Aristoteles : Ὁ δὲ τοῦ σχήματος τῆς λέξεως ἀριθμὸς ῥυθμός ἐστιν, οὗ καὶ τὰ μέτρα τμητά (*Rhét.* III 8, p. 1408 b, 28).

11. Quintilianus simul et Ciceronem et Palaemonem nobis uidetur secutus esse. Etenim, Cicerone duce, sed magis distincte et presse, scribit (45) : « Omnis structura... constat aut numeris (numeros ῥυθμούς accipi uolo) aut μέτροις, id est dimensione quadam. Quod, etiamsi constat utrumque pedibus, habet tamen non simplicem differentiam. Nam rhythmi, id est numeri, spatio temporum constant, metra etiam ordine; ideoque alterum esse quantitatis uidetur, alterum qualitatis. Ῥυθμός est aut par, ut dactylus... aut sescuplex, ut paeon... aut duplex, ut iambus... quique est ei contrarius. Sunt hi et metrici pedes, sed hoc interest, quod rhythmo indifferens est, dactylusne ille priores habeat breues an sequentes. Tempus enim solum metitur, ut a subla-

Digitized by Google

tione ad positionem idem spatii sit[1]. Proinde alia dimensio est uersuum; pro dactylo poni non poterit anapaestus aut spondeus, nec paeon eadem ratione breuibus incipiet ac desinet. Neque solum alium pro alio pedem metrorum ratio non recipit, sed ne dactylum quidem aut forte spondeum alterum pro altero[2]. » Item, Ciceronis instar, asserit rationem pedum in oratione multo difficiliorem esse quam in uersu, « primum quod uersus paucis continetur, oratio longiores saepe habet circuitus; deinde quod uersus semper similis sibi est et una ratione decurrit, orationis compositio, nisi uaria est, et offendit similitudine et in affectatione deprehenditur (60). » Palaemonem quidem imitari uidetur, cum scribit metrum in uerbis modo, rhythmum etiam in corporis motu esse (50), id est rhythmum uniuersum aliquid esse, cuius metrum modo pars est.

12. Haec eadem aliis uerbis expresserunt qui post Quintilianum de numero ac metro locuti sunt. Diomedes scribit *curiosa felicitate* (I 468, 1) : « Omnis... structura constat rythmis et pedibus et metris. Rythmi certa dimensione temporum terminantur et pro nostro arbitrio nunc breuius artari nunc longius prouehi possunt. Pedes certis syllabarum temporibus insistunt nec a legitimo spatio nunquam recedunt. Metra sunt uerborum spatia certis pedum temporibus alligata, » et *infra* (I 474, 1) : « Distat... metrum a rythmo, quod metrum certa qualitate ac numero syllabarum temporumque finitur certisque pedibus constat ac clauditur, rythmus autem temporum ac syllabarum pedumque congruentia infinitum multiplicatur ac profluit. » Nihil noui addit Charisius (*Inst. Gramm.* IV — Keil I 289). Explicat praesertim quae ostenderat Palaemo. « Metra... rythmorum

1. Cf. *de Oratore* III 186. « Distinctio et aequalium et saepe uariorum interuallorum percussio numerum conficit, quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus, in amni praecipitante non possumus. »

2. Cf. 50. « Rhythmis libera spatia, metris finita sunt; et his certae clausulae, illi, quomodo coeperant, currunt usque ad μεταβολήν, id est transitum in aliud genus rhythmi... »

Digitized by Google

partibus sunt enumeranda. Nihil est enim inter rythmon et metron, nisi quod rythmos est metrum fluens, metron autem sit rythmos clausus. » Marius Victorinus breuiter omnia contraxit (*Artis Gramm.* I 10 — Keil VI 41). « Differt... rhythmus a metro, quod metrum in uerbis, rhythmus in modulatione ac motu corporis sit, et quod metrum pedum sit quaedam compositio, rhythmus autem temporum inter se ordo quidam; et quod metrum certo numero syllabarum uel pedum finitum sit, rhythmus autem numquam numero circumscribitur. » Tandem Atilius Fortunatianus (*Ars* 4, 8 — Keil VI 282) fusius tantum disseruit de his Quintiliani uerbis : « metrum in uerbis modo, rhythmum etiam in corporis motu esse. »

13. Igitur, cum numerus a metro absit, quia metra partes sunt rhythmorum, id est numerorum, et constant ex certo finitoque pedum ordine ac modo, qui non in numero potest esse, maxima cura ac diligentia uitanda sunt metra, id est uersus, in oratione[1]. Hoc persaepe multis modis praecipiunt rhetores atque grammatici, non frustra nec inconsulto, cum, Quintiliano teste (76)[2], quosdam, componendi studio ductos, fugerent saepissime uersus. Quacumque in parte orationis uitandum esse uersum ait Tullius (*O.* 67, 172, 187, 189, 190 — *D. O.* 175), sed praesertim in fine clausulae (*D. O.* 182). Meminerimus tamen eumdem, nescio quo pacto, hexametri finem in structurae clausula laudare. Eadem praecepta edidit Quintilianus et quidem planius. « Versum in oratione fieri multo foedissimum est totum, sed etiam in parte deforme : utique si pars posterior in clausula deprehendatur aut rursus prior in ingressu (72 — Cf. 95). » Quare non « dactylus spondeo bene praeponitur, quia finem uersus damnamus in fine orationis (102). » Bis etiam trimetri finem reprehendit (71-108). Isdem ex rationibus moti, eadem suaserunt Probus atque Diomedes (IV 41, 8-VI 493, 21),

1. Cf. § 32.
2. Cf. *Orator* 161.

Digitized by Google

qui, perlustratis omnibus structuris, iterum obseruant hexametri finem uersus esse fugiendam. (43, 7 — 495, 24). Iuba censet item quam maximam operam esse adhibendam ut clausula fini uersus sit absimilis (VI 628, 24). Item Diomedes (I 468, 6), etsi, et ipse, Cicerone duce, finem hexametri uersus laudauerit in fine clausulae. Rufinus eadem dat praecepta (VI 565, 19) :

> Continuos fugito multos — fit uersus — eosdem [pedes].
> Optimus orator sequitur ratione poetas :
> Cognatus uirtute sua metrumque recusans...

Tandem Martianus Capella (477, 9) et Iulius Victor (433, 7) haud alio modo censent.

14. Attamen non angustiores catenas scriptoribus inicere decet, ne torqueantur, ut qui « Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa mouetur. » Effugiunt quidam uersus quibus ignoscendum est, quia ea uitare difficile est (Q. 52-53). Rectissime quoque Probus atque Sacerdos (IV 41, 13 — VI 493, 24). « Sic enim uersum heroici metri facient, quae sola uersificatio est oratoribus deuitanda. Nam, si omnem fugere uoluerint, tacebunt, quoniam nulla oratio sine metro constat. » Non secus Diomedes (I 468, 6) uituperat eos qui in Cicerone reprehendant sotadeum, aut, initio orationis in Pisonem, trimetrum, cum « si calumniatores istos audiamus, conticescendum sit, quia nulla non pars orationis in aliquam rythmi aut metri speciem potest figurari. »

15. Quoniam finem uersus fugere decet, credidit Quintilianus initium uersus clausulis conuenire et de his locutus est multa (72-78). Sed non alii eum imitati sunt, cum sine dubio reputauissent plerisque uersibus, uel hexametro aut pentametro, ne commemorem iambicos, trochaicos aut creticos, unam finem, sed plura initia esse posse, ut uersus initia forment omnes fere syllabarum coniunctiones. Quintilianus arbitratus erat clausulam quam maxime a uersibus flectendam esse, quod

Digitized by Google

mea quidem sententia uerum est, sed non eodem modo ac existimabat differt a uersibus.

III. — Qua in parte orationis numerus sit ponendus.

16. Hoc tantum restat, ut quaeramus qua in parte orationis numerum ponere expediat. Scribit Cicero, in opere *de Oratore* composito (191-192) : « Si primi et postremi [illi] pedes sunt hac ratione seruati, medii possunt latere, modo ne circuitus ipse uerborum sit aut breuior, quam aures expectent, aut longior, quam uires atque anima patiatur. Clausulas autem diligentius seruandas esse arbitror quam superiora, quod in eis maxime perfectio atque absolutio iudicatur. Nam uersus aeque prima et media et externa pars attenditur, qui debilitatur, in quacumque parte est titubatum; in oratione autem pauci prima cernunt, postrema plerique... » Eadem dat praecepta in *Oratore* (199) : « Solet... quaeri, totone in ambitu uerborum numeri tenendi sint, an in primis partibus atque in extremis. Plerique enim censent cadere tantum numerose oportere terminarique sententiam. Est autem ut id maxime deceat, non ut solum. Ponendus est enim ille ambitus, non abiciendus. Quare cum aures extremum semper exspectent in eoque acquiescant, id uacare numero non oportet, sed ad hunc exitum tamen a principio ferri debet uerborum illa comprehensio et tota a capite ita fluere, ut ad extremum ueniens ipsa consistat. » Tullium secutus est Quintilianus (61 sqq.) : « In omni corpore totoque (ut ita dixerim) tractu numerus insertus est. » Maxima tamen cura clausulis adhibenda est, « primum quia sensus omnis habet suum finem poscitque naturale interuallum, quo a sequentis initio diuidatur; deinde quod aures continuam uocem secutae ductaeque uelut prono decurrentis orationis flumine tum magis iudicant, cum ille impetus stetit et intuendi tempus dedit... Proximam clausulis diligentiam postulant initia, nam et in haec intentus

Digitized by Google

auditor est, sed eorum facilior ratio est : non enim cohaerent, sed praecedentibus seruiunt, exordium sumunt cum ea, quamlibet sit composita. Ipsa gratiam perdet, si ad eam rupta uia uenerimus. » Tandem media quoque non sunt neglegenda (66-70). Inter grammaticos, qui post Quintilianum scripserunt, unus fere Diomedes[1] quo in loco ponendus esset numerus indicauit expresse. Quintiliani instar, arbitratur quacumque in orationis parte uerba struenda esse, sed praesertim in clausula ; initium uero ac mediam partem multo celerius attingit ac alii (I 468, 19). « Cumque in omni parte orationis ea uerba nectenda sint quae structius quadrent, tunc praecipue in clausulis dignitas ista seruanda est, in quibus tam dicentis quam audientis sensus atque intentio terminatur. » Eadem legimus apud Iulium Victorem (433, 10) : « Cum per totam orationem, tum praecipue in conclusionibus seruandus est ordo uerborum, moderate in exordio, in media parte leniter, ita ut magis ad numerum tendat quam ipsa numerosa sit. » Nihil apud ceteros inuenimus; sed ex praeceptis quae ponunt colligi potest eos soli clausulae operam atque diligentiam adhibere.

17. Quidam etiam quibus pedibus initium mediaque orationis pars struenda sit nos docent. Dicit Cicero (*O.* 191-197 — cf. *D. O.* 182), Aristotele, sicut monstrabimus, duce[1], omnes in oratione « esse quasi permixtos et confusos pedes, » ut sint inter se « miscendi et temperandi. » Haec omnia breuiter contraxit Quintilianus his uerbis (87) : « Miror autem in hac opinione doctissimos homines fuisse, ut alios pedes ita eligerent aliosque damnarent, quasi ullus esset, quem non sit necesse in oratione deprehendi. Licet igitur paeona sequatur Ephorus, inuentum a Thrasymacho, probatum ab Aristotele, dactylumque, ut temperatos breuibus ac longis ; fugiat molossum et trochaeum, alterius tarditate, alterius celeritate damnata; herous, qui est idem dac-

1. Cf. Probi et Sacerdotis uerba § 18.
2. Cf. § 68.

Digitized by Google

tylus, Aristoteli amplior, iambus humanior uideatur; trochaeum ut nimis currentem damnet eique cordacis nomen imponat ; eademque dicant Theodectes ac Theophrastus, similia post eos Halicarnasseus Dionysius : irrumpent etiam ad inuitos, nec semper illis heroo aut paeone suo, quem, quia uersum raro facit, maxime laudant, uti licebit. » Quintilianus addit ante omnia uitandum esse ne orationis ingressus similis sit atque uersus. Contra « ultima pars uersuum initio conueniunt orationis : *Etsi uereor, iudices* et *Animaduerti, iudices* (72-73)[1]. » Si nunc singula persequamur, quouis loco aptum dochmium arbitratur Cicero, dum semel ponatur (*O.* 218)[2]. Plura de initio. « Optime incipitur a longis, ait Quintilianus (92), recte aliquando a breuibus, ut *nouum crimen;* lenius a duabus, ut *animaduerti, iudices* ; sed pro Cluentio recte, quod initium eius partitioni simile est, quae celeritate gaudet. » « Longis syllabis incipiendum potius quam breuibus est, ait Iulius Victor (433, 13), ut sit in exordio dactylus aut spondaeus aut paeon primus : nonnumquam tamen quotiens attenuandus est, et ab iambo optime incipitur. » Peculiariter dactylum, spondeum et anapaestum laudat Tullius (*D. O.* 182), paeonem primum ac creticum idem (*D. O.* 183) et Quintilianus (106-107).

18. Tandem de clausula secum reputauerunt rhetores et grammatici quot ex pedibus constare deberet. Omnes inter se consentiunt ut fateantur numerum modo in duobus aut tribus postremis residere pedibus. Cicero scribit (*D. O.* 193) : « Duo enim aut tres fere sunt extremi seruandi et notandi pedes, si modo non breuiora et praecisa erunt superiora; » ac in *Oratore* (216) : « Sed hos cum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo, adiungo, quod minumum sit, proxumum superiorem, saepe etiam tertium. » Quintilianus ait (95) : « Retrorsum... neque plus tribus, iique si non ternas syl-

1. Cf. de fine clausulae eadem §§ 13 et 15.
2. Cf. Rufinum (Keil VI 576, 7.)

Digitized by Google

labas habebunt, repetendi erunt (sit tamen poetica obseruatio) neque minus duobus : alioqui pes erit, non numerus. » Item Probus (IV 40, 22) atque Sacerdos (VI 492, 4) « Hae [structurae] quamuis in omni oratione seruari debeant, tamen maxime in uerbis duobus, nouissimo et paenultimo, sunt delectabiliter componendae. » Eadem Iuba (VI 628, 20), qui infra (629, 6) Probi expressit ipsa uerba.

19. Non solum in clausulis, sed in commatibus singulis structuras poni Iuba uidetur optare. Scribit (VI 628, 25) : « Clausulae non solum pleno sensu debent fieri, uerum et in commatibus singulis et diuisae et plenae fiunt. » Hoc quidem curabat Cicero, hoc Quintiliani aequales, sed nullum modum adhibentes, ut illi notanda fuerit haec intemperantia, dum scribit : « Quaedam etiam clausulae sunt claudae atque pendentes, si relinquantur, sed sequentibus suscipi ac sustineri solent, eoque facto uitium, quod erat in fine, continuatio emendat. *Non uult populus Romanus obsoletis criminibus accusari Verrem* durum, si desinas, sed cum est continuatum iis quae sequuntur, quamquam natura ipsa diuisa sint : *Noua postulat, inaudita desiderat*, saluus est cursus. *Ut adeas, tantum dabis* male cluderet, nam et trimetri uersus pars ultima est; excipit *ut cibum uestitumque introferre liceat tantum ;* praeceps adhuc firmatur ac sustinetur ultimo *nemo recusabat* (70-71) ».

20. Ne multa, omnes grammatici ac rhetores consentiunt de causa ac natura numeri, quae sunt perpetui et uniuersi generis quaestiones. Non multum inter se differunt, cum uenit in contentionem qua in parte orationis numerus sit adhibendus. Contra, ut iam uidebimus, non semper congruunt de pedibus in clausula collocandis, quia, diuersis temporibus uitam agentes, non eisdem clausulis delectabantur. Sicut Flacci conuiuae « dissentire uidentur, Poscentes uario multum diuersa palato. »

Digitized by Google

PARS II

DE CLAUSULIS

I. Quibus legibus de clausulis disserendum sit.

21. Antequam singulos pedes exsequar, contrahenda inspiciendaque sunt quae grammatici rhetoresque latini de quaestionibus pertinentibus ad omnes clausulas ediderunt. Ac primum res agi debet, utrum, in uerbis quibus constant clausulae, syllabas an semipedes numerare deceat. Ex uerbis Ciceronis ipsius concludere licet eum semipedibus, non syllabis curam semper adhibere, cum Ephorum reprehendere uideatur, qui spondeum iambumque probat, ac dactylo et tribrachy, qui sunt prioribus aequales, non maxime delectatur (*O.* 194). Praeterea duo uerba, ut *amicos tenes,* unum pedem, dochmium, esse fingit : notare tamen decet dochmium numerum esse, non pedem[1]. Eadem, prima specie, apud Quintilianum. Multis locis, tantum curare uidetur pedes e quibus clausula efficitur, et nullo modo diligentiam adhibere quomodo syllabae horum pedum in uerba distribuantur[2], etsi praedicauit ipse esse « quoddam diuisione uerborum latens tempus (98) » et multum referre « unone uerbo sint duo pedes comprehensi an uterque liber (97). » Etenim dochmium fatetur nullo discrimine fieri ex bacchio et iambo,

1. Cf. § 31.
2. Eadem de Iulio Victore notanda sunt.

Digitized by Google

uel ex iambo et cretico (97). *Iuniani* aut *superabat* soluit in pyrrichium et spondeum (101-104); *dubitaui* modo in pyrrichium *dubi-*, qui, *Brute* antecedente, paeonem primum format et in spondeum, modo in breuem *du-* qui, *Brute* antecedente, dactylum format et in bacchium (101). Item *ut uenenum* trochaeum esse uult atque spondeum (102), *inuidiam* longam et tribrachyn (106). Attamen idem, cum pedes singillatim exsequitur, eos separat prout binis aut ternis syllabis constant : nam pes ei « tres syllabas non uidetur excedere » (79 sqq.). Ex his efficitur ut nunc Quintilianus Ciceronis uestigia sequatur, nunc autem syllabas numeret, non semipedes, instar omnium scriptorum qui de clausula in operibus post eum praecepta dederunt. Etenim omnes clausulas seponunt prout ultimum uerbum disyllabum est, trisyllabum aut tetrasyllabum. Iure quidem Diomedes scribit, Quintiliano duce (I 469, 15) : « Sane quotiens una pars orationis anapaestum et trochaeum receperit, mollem et quasi lubricam structuram dabit ut *archipirata* et *parricidarum*. Quamuis enim idem pedes eademque sint tempora, tamen, ubi duae sunt partes orationis, nescio quo modo in utriusque confinio retentus spiritus adfert quamdam compositioni firmitatem... » Attamen Bassus, sequente Probo, dum clausulas octo compositionibus digerit (VI 308, 30-312, 2—IV 43, 11-30), censet tribachyn supponi posse in locum trochaei aut iambi, anapaestum in locum spondei, ut fere solus Bassus intelligere uideatur clausulae rhetoricae artem quodammodo artem poeticam attingere. Clausulas ego persequar ex numero syllabarum, grammaticorum instar qui de his plurima tradiderunt.

22. Nunc quaerendum est quid fiat cum ante aut post ultimum uerbum monosyllabon ponitur. Si monosyllabon ultimum clausulae occupat locum, hanc quaestionem infra exponam, cum de singulis clausulis dicendum erit[1]. Cum autem

1. Cf. § 28.

Digitized by Google

ante polysyllabum uerbum positum est monosyllabon, quod rare quidem euenit, modo sequenti uerbo annectere, cum Caesius Bassus *in turbines* ionicum maiorem (VI 309, 12) Quintilianus *pro nobis* spondeum (100) et Probus (IV 42, 28) *non posse* bacchium a longa habeat, modo praecedente uerbo niti uidetur, quoniam eidem Quintiliano *potest, non possemus* sit bacchius et antibacchius (103) et Diomedes *pro nobis* in longam soluat et trochaeum (I 469, 8)[1]. Sibi igitur non constant grammatici.

23. Eamdem rationem concludemus, si quaesiuerimus utrum syllabae breues producantur annon isdem rationibus quibus uterentur poetae. Diomedes nos monet se « de longis et breuibus temporibus locuturum ut natura tantum, non positione, longas aut breues syllabas iudicet (I 468,27). » Omnes eadem praecepta secuntur; sed cum uersus facere didicissent, multi, consuetudinem seruantes quam a puero ceperant, interdum syllabas, natura breues, positione producunt. Exempla proferam apud Quintilianum : 97 *criminis causa* 102 *uenenum timeres-ciuis romanus sum* 104 *in litore*, apud Probum et Sacerdotem : *iudicium sustinebit* (IV 43, 1 — VI 494, 18), apud Probum : *composuit rationem* (43, 6) *dixerat magnus* (43, 16) *medius fidius* (43, 17) *Mulciber fecerat* (43,17), apud Iubam : *fulmen tonantis* (627, 11-628, 12), *oculus uirginalis* (627, 11) *cupidus uoluptatum* (627, 13) *insulam comparauit*[2] (627, 23) *inuadit tonantem* (628, 12), tandem, apud Diomedem : (I 470, 3) *iustam querellam* (470,15) *reposcimus deditos*, ut producat etiam exempla quae a Cicerone mutuatur : (470, 4) *iudiciorum requirunt* (470, 5) *actorem putabit* (470, 6) *bellum uidebam*. Bassus tantum et Martianus Capella eas semper producunt.

1. Ex exemplo *ausus est confiteri* (I 470, 26) nihil colligi potest, cum nesciamus quem pedem, Diomedis sententia, forment uerba *ausus est*.

2. Hanc clausulam compositam esse dicit ex amphibrachy et ditrochaeo. Sine dubio errauit, dum scribebat aut exscribebat. Legendum itaque arbitror : ex amphi*macro* et ditrochaeo.

Digitized by Google

24. Eadem etiam dicenda sunt de ultima clausulae syllaba, utrum longa semper haberi possit annon. Aristoteles hanc quaestionem tractauerat; Aristotelem secutus est Tullius[1] et ceteri inuicem, qui Ciceronem sequebantur, eidem rei adhibuerunt diligentiam. Tullius scribit (*O.* 214) : « Nihil ad rem extrema longa sit an breuis » et expressius (*O.* 217) : « Nihil interest dactylus sit extremus an creticus, quia postrema syllaba breuis an longa sit, ne in uersu quidem refert. » Non uidetur probare Aristotelem (*D. O.* 183) aut Ephorum (*O.* 194), quorum sententia clausulae longa plerumque syllaba terminandae sunt. Ipse quidem,in exemplis quae affert, ultimam uerborum syllabam breuem aut longam numerat, prout natura breuis est an longa. Nunquam indifferentem habet. Quintiliano dubium est ultimam syllabam breuem pro longa putandam esse (93). « Neque enim ego ignoro in fine pro longa accipi breuem, quia uidetur aliquid uacantis temporis ex eo, quod insequitur, accedere : aures tamen consulens meas, intelligo multum referre uerene longa sit, quae claudit, an pro longa (cf. 94 et 107). » Addit infra (106) omnes pedes, qui in breues excidunt, minus esse stabiles. Ipse numquam breuem producit, quae ultimum clausulae locum ducit, ut *Si potero* et *hoc Cicero* numeret in paeonibus primis. Probus atque Sacerdos plerumque ultimam clausulae syllabam non producunt : etenim, Quintiliani instar, postremam uerbi *perhorresco* syllabam breuem habent. Sunt tamen quaedam excipienda : *cognouit* (IV 42, 30 — VI 494, 13) — *delegit* (42, 30-494, 14) — *addatur* (43, 2-494, 19) — *armatus* (43, 12) — *magnus* (43, 16) — *fidius* (43, 17). Sed, in exemplo *Mulciber fecerat*, Probus producit *ber* (cf. § 23), non *rat*. Juba contra semel producit ultimam syllabam (VI 628, 10) : *sidera indicabant*. Diomedes eadem censet ac Quintilianus, eadem uero agit ac Probus. « Clausula, ait, e longis firmissima est; sed uenit et in breues, quamuis habeatur indifferens ultima. Neque enim ego ignoro in

1. Cf. § 68.

Digitized by Google

fine pro longa accipi breuem, quia uidetur aliquid uacantis temporis ex eo quod insequitur accedere (I 467, 10). » Itaque illud Ciceronis : *acuit oratio* dicit esse tribrachyn et ionicum maiorem (471,2). Sed idem ditrochaeos laudat *maluerunt* (470, 25), *confiteri* (470, 26), *detulerunt* (470, 26) et paeones tertios(?) *compararunt* et *pertulerunt* (470, 27), tanquam reuera ultimam clausulae syllabam indifferentem haberet. Rufinus Ciceronis uerba exscripsit his uersibus (VI 566, 27) :

> Longa sit anne breuis nullum discrimen habetur;
> Ut solet in metris doctus componere uates.

Bassus quoque eam indifferentem habet; quindecies producit, nonies breuem seruat, semel etiam corripit, cum numeret *in turbines* inter ionicos maiores[1]. Tandem Martianus Capella ultimam syllabam habere uidetur indifferentem. « Quid enim interest, ait, utrum dicas *omnia nempe uides,* an uero dicas *aspice facta mea* (477, 9)? » Reuera quidem eam in loco longarum aut breuium numerat, prout natura longa est an breuis. Attamen omnes, excepto Basso, separatim exponunt quae censent de pedibus quae ultima tantum syllaba differunt, ut spondeum et trochaeum. Grammaticos et rhetores non semper sibi constare hic etiam notandum est.

25. De elisione, cum de clausulis res agitur, perpauca sunt et praecepta et exempla. Quintilianus quidem loquitur ample de « coeuntibus litteris, quae συναλοιφαί dicuntur (et) etiam leuiorem faciunt orationem (36-37) » ; addit in clausulis se non negare « quidquid sententiis aut elocutioni non nocebit » (59); apponit etiam exemplum : *bene praesidium est;* « nam synaloephe facit ut duae ultimae syllabae pro una sonent (109). » Sed in hoc exemplo de monosyllabo res agitur, et, ut in gallice scripta thesi monstrauimus, non eaedem sunt rationes seruandae

1. Cf. § 22.

Digitized by Google

de monosyllabis et polysyllabis uerbis; præterea hic de synaloephe, minime autem de elisione res agitur. Diomedes (I 467, 13) « iubet fugiendam... esse... consonantem inlisam uocali *bonum aurum- iustum enim est* et similia quae deformant orationis integritatem. » Sic censent ceteri; unum enim coeuntium syllabarum exemplum repperi, apud Martianum Capellam (477, 30), ita tamen ut syllabam nullam elidat. « Si trochaei paenultimi longam soluerimus et primam molossi ultimi, fit elegans clausula, ut est *curas regere animorum.* » Nil mirum quidem, cum nemo nesciat quanta cum diligentia antiqui scriptores in componendis et perpoliendis scriptis suis uersati sint, praesertim in fugendis crebris concursionibus uocalium, quae orationem uastam reddunt atque hiantem[1].

26. Ne multa, de legibus sequendis, nihil certi ex grammaticis ac rhetoribus potest colligi, quia aut inter se non satis conueniunt aut praecepta non dant, aut, sicubi deficiunt praecepta, pauciora plerumque proferunt exempla.

II. De singulis clausulis[2].

27. De singulorum pedum ui ac potestate ueteres multa disputauerunt. Clausulas, ut supra dixi, ego percensebo[3] ex syllabarum numero, id est prout ultimum uerbum unam syllabam, duo, tres, quatuor uel etiam plures habet. Licet, ex praeceptis ipsorum rhetoribus atque grammaticorum[4], nihil interesse uideatur utrum postrema clausulae syllaba breuis sit an longa, trochaeos a spondaeo, exempli causa, aut dactylos a

1. Cf. Benseler, *op. cit.*
2. Operae pretium esse non arbitratus sum laudare clausulas omnes quas exsequitur Diomedes in loco cui nomen inscribitur : *De qualitate structurae* (I. 471, 30 sqq.). Omnes hae compositiones ab usu scriptorum remotae sunt. Praeterea ipsius Diomedis uerba excripsi, cum de clausularum partitionibus locutus sum (§ § 59 sqq.).
3. Cf. § 21.
4. § 24.

Digitized by Google

cretico, instar eorumdem rhetorum atque grammaticorum, quotiescumque fieri poterit, diuidam. Utique etiam atque etiam moneo, si quis dilucide intellegere uelit quid ualeant grammaticorum ac rhetorum praecepta, in memoria semper repetendum est quid sibi quisque proposuerit. Tullius non generatim omnia percenset, quippe qui tantum, ut nuper uidimus[1], in animo habeat monstrare structura quid sit. Quintilianus modo « quid optimum sit *in praesentia* » ostendit (109); Pompeius Messalinus (VI 575), Donatus (VI 577) ac Rufinus (VI 565 sqq.) Tullium breuiter contrahere aut aliis uerbis expromere uidentur[2]. Tandem fragmentorum Bobiensium auctor (VI 628, 1), Probus et Sacerdos praesertim exponunt structuras quae suis aequalibus placebant, aut etiam, sicut Probus, referunt « has a se repertas [structuras]..., quae possint auditores sui temporis delectare », (IV 42, 24) ut solo in Diomede non appareat utrum de ueteribus an recentioribus loquatur[3].

28. De monosyllabis uerbis. — De monosyllabis uerbis non multa nobis sunt tradita. Tantummodo Probus monosyllaba structura concludere clausulam licere dicit (IV 40, 17 — Sacerdos VI 492, 27) : « Consequens arbitratus sum de terminationibus (*structuris* Sacerdos) placentibus nostro tempore paucis admodum demonstrare, quas multi credunt metro debere constare, quorum opinioni non libenter consentimus, quoniam et Tullius et ceteri oratores monosyllabo struxere uerbo, cum una syllaba metrum non sit. » Addit infra (IV 40, 30 — Sacerdos VI 493, 11) : « Quod in primis est (*uidelicet* add. Sacerdos) nostro tempore uitiosum, Tullius ille non dubitauit uerbo, monosyllabo finire structuram ut est « *ab istius petulantia conseruare non licitum est* » — « *quae cum his ciuitatibus G.*

1. Cf. Pars I.
2. Cf. § 27, 41, 51, 52, 56 nn.
3. Post ea quae a Martiano Capella de monosyllabis, disyllabis et trisyllabis uerbis dicta sunt, mihi exploratum uidetur complura intercidisse.

Digitized by Google

Verri communicata sunt », et « *id quod populus Romanus iam* (*iamdiu* Sacerdos) *flagitat, extincta atque deleta sit.* » Probi aut Sacerdotis temporibus hae structurae demutatae fuissent, ut fierent : *non est licitum conseruare — quae sunt G. Verri cum his ciuitatibus communicata — extincta sit atque deleta.* Apud Quintilianum iam exempla uerbi monosyllabi reperies, etsi de monosyllabo nulla dat praecepta. Sic ait : « Optime habebit [antibacchius] ante se molosson : *Ciuis Romanus sum.* Verius erit claudere choreum praecedente spondeo, nam hic potius est numerus... : *Romanus sum* (103). » Item (109) : « Et quidem optime est sibi iunctus anapaestos, ut qui sit pentametri finis, uel rhythmos qui nomen ab eo traxit : *Nam ubi libido dominatur, innocentiae leue praesidium est ;* nam synaloephe facit ut duae ultimae syllabae pro una sonent. » Item etiam apud Diomedem (I 469, 11) : « Trochaeus quoque in clausula bene ponitur, maxime si se ipse praecedit, ut *acta res est.* » Sed notandum est haec monosyllaba uerba, quae in fine structurae posita sunt syllabaeque locum tenent, perraro alia esse ac uerba *sum, es, est, sim, sis, sit, sint*, ex uerbo *esse* detorta, quae in numero syllabarum aut numerare aut omittere licet, sicut et Ludouicus Havet in opere de Symmachi clausulis conscripto et ego in gallica thesi demonstrare tentauimus. Non eadem dici possunt de iis quae nobis tradidit Martianus Capella (476, 15). « In monosyllabis inspiciendum, utrum finalis longa breuisne sit; si enim longa est, praeire debet trochaeus, ut est Ciceronis *non scripta, sed nata lex*, aut *debet esse legum in re publica prima uox,* quae tamen pendente sensu apta conclusio. At uero si breuis fuerit monosyllaba, iambus aut anapaestus antecedat, ut ait Sallustius : *tota autem insula modica et cultibus uariis est.* Breuem uero breuis aut longam longa non sine uituperatione sectatur, ut si dicas *ista res mea est,* aut contra, quod Cicero pro Ligario : *non tu eum patria priuare, qua caret, sed uita uis :* quod uoluntate orator, non errore composuit. Verum hoc de monosyllabo superius praeceptum in colo

Digitized by Google

melius collocamus aut commate, non in fine sententiae. » Ex his omnibus utique colligere possumus aequales Probi et Sacerdotis, id est uiros qui primo aut tertio saeculo uitam agebant, non isdem delectari quae Ciceronem iuuabant, quod alias etiam notabimus.

29. Disyllaba uerba. — Etenim idem Probus (IV 41, 7), et, Probo duce, Sacerdos (VI 493, 20), cum de uerbis disyllabis locuntur, dicunt : « Disyllaba structura, quae non ualde quibusdam placet, antiquos uiros uehementissime delectabat. » Etenim disyllabis uerbis plurimum usi sunt omnes fere auctores.

30. Tamen de *pyrrichio* nihil nobis traditum est, praeter a Quintiliano, cuius haec uerba sunt (106) : « Cludet et pyrrichius choreo praecedente, nam sic paeon est, » et a Martiano Capella, qui nullo modo pyrrichium laudat in clausula positum (§ 36 : 476, 26-477, 14).

31. *Iambus.* — Iambus quidem Ciceronem non delectat : « Eidem hi tres pedes [iambus, trochaeus, dactylus] male concludunt, si quis eorum in extremo locatus est (*O.* 217), » et, alio loco (*O.* 233), Gracchum reprehendit quod clausulae hanc finem imposuerit : « *Improbos probet* », quae constat ex cretico et iambo. « Quanto aptius, addit, si ita dixisset : « quin eiusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare. » Pro iambo subicit hunc ditrochaeum, quem tot tantisque laudibus extollunt omnes qui de clausula rhetorica locuti sunt[1]. Quintilianus de iambo praecepta quaedam nobis dedit (99) : « Sicut anapaestus et creticus, iambus quoque, qui est utroque syllaba minor (praecedet enim tres longas breuis) et spondeus iambo recte praeponitur : *Iisdem in armis fui.* Tum spondeus et bacchius, sic enim fiet ultimus dochmius. *In armis iisdem fui.* » Si diligentius inspexerimus exempla duo, quae sola protulit

1. Cf. § 52.

Digitized by Google

Quintilianus, intellegemus reuera non spondeum, aut spondeum et bacchium praeponendum esse iambo, sed epitritum secundum qui constat ex longa, breui et iterum longis duabus : sic nascitur clausula qua potissimum usi sunt Tullius, in orationibus, Plinius minor et Symmachus ceterique qui huic arti se dediderunt. Sed omnes hanc structuram dochmium appellant[1], cum dochmius non sit pes unus, sed *numerus* (*O.* 218) : constat enim ex duobus pedibus, iambo et cretico, aut, si malis, bacchio atque iambo, ut monstrat Rufinus (VI 566, 6) :

Rhetoricas pulchre structuras dochmius ornat :
Principium bacchius erit, concludet iambus.
Aut uice mutata nomen mutabitur uni :
Primus iambus erit, tum finem creticus explet.

Praeterea animaduertendum est Quintilianum dissidere a Cicerone, qui, ut notauimus, creticum iambo uituperabat antepositum. Item Diomedes (I 469, 24) : « Iambus quoque clausulis aptus est spondeo antecedente *iusta fide,* et se ipso praecurrente *bona fide,* cretico *prospera fide* ». Probus (IV 43, 22) laudat, duce Basso (VI 310, 15 et 18), spondeum aut anapaestum iambo antepositos ; Rufinus autem paeonem quartum aut creticum probat (VI 576, 1). Tandem Martianus Capella, ante iambum, uituperat et spondeum (476, 27) et iambum (477, 3) et trochaeum, « qui finem elegiaci pentametri turpiter reddit » (479, 9), ut iambum adhibere non liceat : contra Iulius Victor non uidetur respuere creticum (433, 17). Ne multa, hi omnes pedes, qui iambo anteponi possunt, recidunt in duo, epitritum secundum et creticum, cui paeon quartus est par.

32. *Spondeus et trocheus.* — Scripsit Tullius (*D. O.* 193) : « Duo enim aut tres fere sunt extremi seruandi et notandi pedes, si modo non breuiora et praecisa erunt superiora ; quos aut choreos aut heroos aut alternos esse oportebit aut in paeane illo

1. Cf. § 21.

Digitized by Google

posteriore, quem Aristoteles probat, aut ei pari cretico. » Haec non sunt perlucida. Wilkins, cum *de Oratore* librum edidit, putauit has sex clausulas a Cicerone commendari (p. 107, l. 12): duos choreos, duos dactylos, choreum et paeonem quartum, dactylum et paeonem quartum, choreum et creticum, dactylum et creticum. Non credo equidem uerbis Tulli hanc interpretationem dari posse. Etenim perraro apud probatos scriptores hae clausulae, excepta prima, quarta et quinta, reperiuntur. Hic igitur locus mihi sic intelligendus uidetur esse : *choreos* significat duos choreos, ut intellexit Wilkins, quoniam Diomedes laudat (I 469, 11) « trochaeum trochaeo antepositum » itemque Rufinus (VI 576, 6) et Martianus Capella (477,10); — *heroos* indicat dactylum et spondaeum, cum, nescio quo pacto, Cicero hanc clausulam laudauerit, etsi finem hexametri uersus exprimit[1]; — *alternos* ostendit trochaeum et spondeum quos probant Bassus, Probus, Diomedes atque Martianus Capella (477, 11)[2]. Tandem, ultima orationis parte, laudat creticum paeoni quarto aut paeonem quartum cretico anteponendos. Ergo ante trochaeum trochaeus, ante spondeum dactylus aut trochaeus, Ciceronis iudicio, collocari possunt. Eadem fere secuntur ex his *Oratoris* uerbis (217). « Ne iambus quidem, qui est e breui et longa, aut par choreo trochaeus, qui habet tres breues, sed spatio par non syllabis, aut etiam dactylus, qui est e longa et duabus breuibus, si est proxumus a postremo, parum uolubiliter peruenit ad extremum, si est extremus choreus aut spondeus. » Ne multa, iambum, tribrachyn, cui Cicero nomen imponit trochaeo[3] et dactylum spondeo aut choreo anteponere licet. Iambus quidem et tribrachys sunt partes cretici aut ei paris paeonis primi, quem, ut usurpemus, inferiores rhetores et grammatici ante spondeum aut trocheum suadent[4]; quomodo autem, hic

1. Cf. *infra*.
2. Cf. § 33.
3. Cf. p. III : *quibus uocabulis usi sint rhetores atque grammatici*.
4. Cf. § 51.

Digitized by Google

quoque, dactylum laudauerit non equidem uideo. Quintilianus contra scribit (102) : « Ne dactylus quidem spondeo bene proponitur, quia finem uersus damnamus in fine orationis. » Ne spondeum quidem, cum inter uersus hexametros sint quidam spondaici, spondeo antepositum probat, nisi cum hi duo pedes tribus membris formantur, quod perraro euenit in uersu, ut : *is contra nos* (101). Item apud Probum (IV 41, 8) et Sacerdotem (VI 493, 21). « Est enim fortis admodum [disyllaba structura] uitansque etiam nostri temporis barbarismum, si non fuerit spondeo uel trochaeo post dactylum finita, ut *primus ab oris* et *in quo meam uoluntatem populus romanus perspicere possit.* Sic enim finem heroici metri (*uersum heroicum hexametrum* Sacerdos) facient (*faciunt* S.), quae sola uersificatio est oratoribus deuitanda. » Rursus dicunt (IV 43, 7 — VI 495, 23) : « Sed ut breuissime de structuris delectantibus doceamus, obseruandum est ne aut uersum heroici metri faciamus...[1] » Haec, omnibus nota, non solum Tullium effugere potuerunt. Praeterea, in loco Ciceronis de quo agitur, nullum uerbum pro dactylo subjici potest. Etenim, paulo infra, loquitur de isdem tribus pedibus quos planissime nominat : « sed eidem hi tres pedes [iambus, tribrachys et dactylus] male concludunt... nisi cum pro cretico postremus est dactylus. » Quare arbitror Tullium, qui ultimam clausulae syllabam interdum indifferentem habere assuesceret[2], animo confudisse cum dactylo creticum, in fine structurae positum, deinde non iam alterum ab altero seiunxisse eosdem pedes paenultimi pedis locum tenentes. Huic existimationi argumento est Diomedes. Scribit enim, Ciceronis instar (I 469, 11) : spondeus « amat et dactylum antecedentem. » Sed exemplum dactyli ponit *criminis,* cuius ultima syllaba, natura breuis, longa fit, ante *causa* posita. Si autem « creticum » et non iam « dactylum » apud Ciceronem legeris, difficultates

1. Cf. etiam § 13.
2. Cf. § 24.

Digitized by Google

expedientur omnes. Quidquid est, spondeus Ciceroni non ualde placet. « Ne spondeus quidem funditus est repudiandus, etsi, quod est e longis duabus, hebetior uidetur et tardior[1]. Habet tamen stabilem quendam et non expertem dignitatis gradum, in incisionibus multo magis et in membris; paucitatem enim pedum grauitate sua et tarditate compensat[2] (O. 216). »

33. Bellius de hoc pede loquitur Quintilianus (97). « Spondeus quoque, quo plurimum est Demosthenes usus, modum semper per se habet. Optime praecedet eum creticus, ut in hoc : *De qua ego nihil dicam, nisi depellendi criminis causa....* (98) Potest, etiamsi minus bene, praeponi anapaestos : *Muliere non solum nobili, uerum etiam nota.* » Addit etiam (101) : « Minus grauis erit spondeus, praecedente pyrrichio, ut *Iudicii Iuniani*, et adhuc peius priore paeone, ut *Brute, dubitaui;* nisi potius hoc esse uolumus dactylum et bacchium. Duo spondei non fere se iungi patiuntur, quae in uersu quoque notabilis clausula est, nisi cum id fieri potest ex tribus quasi membris : *Cur de perfugis nostris copias comparat is contra nos?* una syllaba, duabus, una. (102) Ne dactylus quidem spondeo bene praeponitur, quia finem uersus damnamus in fine orationis. » Sed ex his nihil colligi potest, cum *Iuniani* et *dubitaui* sint ionici minores, quos cur in pyrrichium et spondeum resoluamus, equidem non uideo. Asserit item (104) choreum pyrichio praecedi posse, ut *dignitate superabat*, cum tamen, ut notaui, *superabat* reuera paeon tertius habendus sit. Caesius Bassus, quem secutus est Probus, anteponendos laudat creticum (VI 309,26-IV 43,16), palimbacchium (309,33-43,20), paeonem tertium (310,3-43,22), amphibrachyn (310,10-43,22), spondeum atque iambum (310,21-43,23), duos iambos (310,26-43,25) creti-

1. Notat Jahn Flaccum eodem uerbo in *Arte Poetico* (255) de trimetro uti. *Tardior ut paullo grauiorque ueniret ad aures, Spondeos stabiles in iura paterna recepit.*

2. Cf. Pompeium Messalinum (Keil VI 575,1). « Cicero spondeum incisis idoneum putat, quia, ut ait, paucitatem pedum grauitate sua et tarditate compensat. »

Digitized by Google

cum et iambum (310, 31), creticum et trochaeum (310, 38), id est, ad summam, trochaeum et creticum. Diomedem spondeus magnopere delectat (I 469,3). « Igitur spondius e duabus syllabis longis aptus est [clausulae uel] clausulis, qualibus maxime Demosthenes utitur : πᾶσι καὶ πάσαις καὶ πᾶσιν ὑμῖν. Habet enim graues sonos finemque sensus et clausulae firmas sedes constituit, ut *rei publicae causa* et *arma sumpsi* et *esse pro nobis*. Grauior est autem longa syllaba præcedente quam breui. Aliter enim sonat *arma sumpsi*, aliter *esse pro nobis*. Sane interest quis eum pes antecedat. Nam trochaeus praecurrit *arma sumpsi*, anapaestus *esse pro nobis*. Amat et dactylum antecedentem, ut *criminis causa*. Ipse sibi spondius male anteponitur. Trochaeus quoque in clausula bene ponitur, maxime si se ipse praecedat, ut *acta res est* et *iusta causa*, et pyrrichius *cape uota* et creticus *proditis rebus* et amphibrachys *uenite mecum*, nisi quod haec clausula in rythmum cadit, et anapaestus *impetus fecit*. » Quid significat hoc : *in rythmum cadit*. Animum referre oportet ad ea quae de structura Diomedes effusius dixit (I 468,1) : « Omnis autem structura constat rythmis et pedibus et metris. Rythmi certa dimensione temporum terminantur et pro nostro arbitrio nunc breuius artari nunc longius prouehi possunt. Pedes certis syllabarum temporibus insistunt nec a legitimo spatio umquam recedunt. Metra sunt uerborum spatia certis pedum temporibus alligata. Sed neque rythmis neque metris oratorem uti decet, ne non dicere sed carmen canere uideatur[1]. » Si autem *uenite* longa syllaba praecedatur, oritur rhythmus, cum iam adsit finis iambici uersus aut trochaici. Saltem haec uerba sic interpretor, ita tamen ut forsan errem. Tribrachyn etiam trochaeum bene antecedere censet Diomedes ut *refere causam*, *facile uota* (I 469,22). — In fragmentis Bobiensibus, nihil reperias.

Victorinus, ante trochaeum aut spondeum, creticum laudat.

1. Cf. § 21.

Digitized by Google

« Creticum, qui est ex longa et breui et longa, si sequatur spondeus uel trochaeus, bonam compositionem facere dicunt : *quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* Duo extremi pedes sunt creticus et spondeus (VI 573,18). » — Rufinus uersibus inconditis fere eadem expressit. Spondeum effert laudibus (VI 566,32) :

> Spondeo narrare solent tibi rhetores acta,
> Quod grauis et tardus res gestas mentibus affert.

Igitur dissidet a Cicerone, quem imitatur plerumque, etsi eisdem uerbis utitur[1]. Addit etiam (VI 566, 21) :

> Creticus atque trochaeus erit, qui claudere possunt,
> Aut spondeus inest nullo discrimine finis.

Haec obscurius dicuntur (VI 576, 1) :

> Creticus aut spondaeus erit paeanue supremus,
> Dactylus atque trochaeus adest uel cursor iambus,
> Partibus in cunctis qui ponitur ante supremum,
> Temporibusue pares hos omnes reddere possunt,
> Soluere seu longas malis ut syllaba crescat.

Quantum tamen mihi haec uerba interpretando explanare licet ex his quae me docuerunt scriptores, clausula rhetorica utentes, iudicat Rufinus creticum et paeonem supremum, qui temporibus cretico par est, sed syllaba longior, praeponi posse spondeo, trochaeo, dactylo et iambo. Eadem Ciceronem censere arbitratus sum. — Mauri (VI 368, 1440) quidem haec est sententia :

> Plurimum orantes [creticus] decebit, quando paene in ultimo
> Obtinet sedem beatam, terminet si clausulam
> Dactylus spondeus imam, nec trochaeum respuo.

Martianus Capella existimat esse « bonam clausulam ex iambo et spondeo uel ultimo trochaeo, ut si quis dicat *patria continet bonos ciues*, uel *asserat caput legis* (476, 28). » Reuera autem

1. Cf. § 32.

Digitized by Google

creticum paenultimum, non iambum laudat. Item bene poni censet uel duos trochaeos, uel trochaeum et spondeum : *haec est bonorum ciuium magna cura* aut : *haec sunt quae maximi principes sola curant* (477, 10-13). Tandem Iulius Victor, ante spondeum aut trochaeum, delectari fatetur aut cretico (433, 16) aut paeone primo (18).

34. Ad summam, ante spondeum aut trochaeum paeonem primum, quem laudat Victor, spondeumque reprehendunt Quintilianus ac Diomedes, pyrrichium uituperat Quintilianus laudatque Diomedes, dactylum uetant omnes, excepto Cicerone et Diomede. Contra placet syllaba longa Diomedi, creticus Caesio Basso, Quintiliano, Probo, Diomedi, Rufino, Mauro et Iulio Victori, trochaeus Ciceroni, Basso, Probo, Diomedi ac Martiano Capellae, anapaestus Quintiliano et Diomedi, paeon quartus Rufino, tribrachys Ciceroni, iambus eidem et Martiano Capellae. Ex his apparet Diomedem exscripsisse omnia quae inuenit de compositione scripta, sed non intellexisse. Si autem reputaueris scriptores, ut uidetur, ante spondeum adhibere plerumque trochaeum aut creticum, et nonnumquam paeonem primum et quartum, inferes hic forsan fide dignissimum esse non Diomedem, cum inconsultus quaecumque legeret, transcripserit, sed Caesium Bassum, qui primus de singulis clausulis diserta praecepta edidit.

35. Trisyllaba uerba. — Si nunc ad uerba trisyllaba transimus, ante omnia dicenda sunt quae iam de monosyllabis et disyllabis structuris notauimus. Haec enim leguntur apud Probum (IV 41, 14) et Sacerdotem (VI 493, 27). « Trisyllaba structura nostro tempore caute ponenda est, ne aut uersum heroicum faciat ex trochaeo composita et bacchio a breui, ut *capta fuissent*, aut, ut quibusdam placet, barbarismum, si ex spondeo uel iambo uel quouis pede, cuius sit nouissima syllaba natura longa, componatur et aliquo pede trisyllabo, qui positus

Digitized by Google

bene sonet. Nam, si plausibilis non fuerit barbarismum nostri temporis uitans, nec structuram faciet nobis placentem ut (*et* Sacerdos) illud inter multa alia (*similia* S.) Tullianum *sententia sua liberauerant* (*liberat* S.) et *cuius ego causa laboro.* » His consentiunt quae alio loco scribuntur ab eisdem (IV 43, 9 — VI 495, 23). « Sed ut breuissime de structuris delectantibus doceamus, obseruandum est ne aut uersum heroici metri faciamus aut in natura longam syllabam paenultimo uerbo terminato trisyllabo finiamus. » Mirum sane uidebitur Probi aut Sacerdotis aequales respuere non *capta fuissent,* quae structura finis est hexametri, sed *sententia sua liberat,* id est duo creticos, quos grammatici uehementer laudant[1] et *causa laboro*, id est longam et bacchium, qua compositione saepe usus est Cicero[2]. Sed uerba Probi, omissis exemplis, ita obscura sunt ut non affirmare ausim rectam esse hanc significationem, adiuncta praesertim his, quae paulo infra leguntur (IV 41, 26 — VI 494, 7) : « Ergo si nos ad huiusmodi structuras [*ad meam capsam admisero — industriaeque meae contenderem*][3] aliqua necessitas detulerit, poterimus reprehendentes imperitissimos comprobare, si nostrum nosmet (*nosmet nostrum* Sacerdos) officium fecerimus, corripientes syllabas breues et (*om. S.*) producentes longas (*longas prod.* S.), (*ut est* add. S.) *causa laboro sa* producentes, *capsas admisero as* producentes. In istis enim tantummodo syllabis, si correptae fuerint, erit barbarismus, non in tota compositione structurae, (*id est* add. S.) *capsas admisero,* quoniam barbarismus una parte orationis fit, pluribus numquam. » Haec quoque non plane intellegere fateor.

36. *Tribrachys et Anapaestus.* — De tribrachy et anapaesto perpauca. Cicero uetat ne tribrachy clausulam concludamus

1. Cf. § 41.
2. Cf. § 38.
3. Cf. § 54.

Digitized by Google

(*O.* 217). Haec Quintilianus (109) : « Et quidem optime est sibi iunctus anapaestos, ut qui sit pentametri finis, uel rhythmos qui nomen ab eo traxit : *Nam ubi libido dominatur, innocentiae leue praesidium est* ; nam synaloephe facit ut duae ultimae syllabae pro una sonent. Melior fiet praecedente spondeo uel bacchio, ut si idem mutes *leue innocentiae praesidium est.* » Sed hic, sicut iam notauimus[1], Quintilianus detrahit de uerbo quemlibet pedem ceteraque non curat; ita de uerbo *praesidium,* qui aut choriambus est aut paeon primus, prout *um* longam aut breuem syllabam duxeris, loquitur tamquam compositum sit ex duabus partibus, syllaba longa *prae* et anapaesto *sidium.* Apud Bassum Probumque laudatos inuenias creticum (VI 309, 27 — IV 43, 17), palimbacchium (309, 34-43, 21), paeonem tertium (310, 4 — 43, 22), amphibrachyn (310, 11 — 43, 22), spondeum et iambum (310, 22), creticum et iambum (310, 36). Diomede auctore, « etiam anapaestus clausulis conuenit, sed mollis et fluens atque in rhythmi modum[1] profluens trochaeo anteposito, *ubi erit imperii nomen* [*et*] *dignitas.* Creticus eum paulo fortiorem facit ut *nobiles homines* (I 470, 7). » Reuera quidem cretico plerumque praeceditur, perraro trochaeo. Ceterum *dignitas* non anapaesti, sed cretici exemplum est, ut ex his uerbis nil colligi possit.

37. Quintiliano non placet tribrachys, si breui syllaba praeceditur; sic enim interpretanda arbitror haec uerba : « Non optimus est trochaeus, si ulla est ultima breuis (105). » Ceteroquin, quantum ex sequentibus uerbis cernere licet : « Quod certe sit necesse est; alioqui quomodo claudet, qui placet plerisque, dichoreus ? Illa observatione ex trochaeo fit anapestus, » forsan ex uerbo trochaeo hunc pedem designat quem saepe choreum nominat, etsi infra scribit (106) : « Idem trochaeus, praecedente longa, fit paeon, quale est *si potero* et *Dixit hoc*

1. Cf. § 32.

Digitized by Google

Cicero, obstat inuidia », quod fieri non potest, si trochaeus pes est ex longa breuique compositus. Probus, duce Basso, uult anapaestum aut spondeum tribrachy anteponi (310 16, 19 — IV 43, 23). Diomedes eadem dicit de tribrachy quae de anapaesto praeceperat (I 469, 34). « Facit etiam tribrachys ad clausulam praecedente cretico, ut si dicas *de ceteris agite, de prœlio redeo, de litteris dubito;* ceteris pedibus antepositis, in rythmum labitur[1]. » Tandem Terentianus Maurus (VI 368, 1440 sqq.) creticum probat anteponendum. Haec tantum : ceterum obseruandum est scriptores minime tribrachy aut anapaesto in clausulis uti. Qua ex causa, in gallica thesi monstrare tentaui.

38. *Amphibrachys et bacchius.* — De his pedibus nihil apud Ciceronem. Quintilianus modo fatetur eos esse pares (105), et longam eis praeponendam censet : *in Africa fuisse,* modo ambo distinguit et praecepta dat de amphibrachy, dum nihil de bacchio scribit (102) : « Bacchius et claudit et sibi iungitur : *Venenum timeres;* uel choreum et spondeum ante amat : *Ut uenenum timeres.* » Notare oportet choreum et spondeum non aliud esse ac bacchium, addita longa. Melius igitur et simplicius dicas epitritum secundum bacchio esse anteponendum. Nihil apud Probum Sacerdotemque, praeter quod inter clausulas quas in ordinem adduxit Probus (cf. § 61) numerantur spondeus et bacchius, ut *magnae repulsus* aut anapaestus et bacchius (IV 43, 18 et 20), Bassi imitatione (VI 309,15, 20), qui his compositionibus addit amphimacrum et bacchium, ut *uictoria praediti.* (309, 30), Fragmentorum Bobiensium auctor laudat spondeum ut *fulmen tonantis* (VI 627, 9 — 628, 11), *mentes nocentum* (VI 627, 20) aut *calcans amicum* (21). Eadem a Diomede praecipiuntur, qui ceteros pedes excludit (I 470, 11). « Bacchius clausulis aptior spondeo antecedente, *causas age-*

1. Cf. § 33. Notandum est tamen tribrachyn non in rythmum labi, praecedente dactylo, quem uero perraro ante tribrachyn reperias.

Digitized by Google

bas : ceteris pedibus non fere conuenit. » Terentianus Maurus suadet ut « bacchicos utrosque » fugiamus (VI 368, 1443). Tandem Martianus Capella uitiosam censet conclusionem ex trochaeo et bacchio; « tunc enim heroicum comma nascitur » (477, 22). » Quidam tamen spondeum antecedentem uituperabant, quos reprehendit Ps. Asconius (*in diuin.* p. 108) : « *cuius ego causa laboro* : inepti sunt homines qui hanc clausulam notant ut malam, cum sit ex spondeo et baccheo de industria durior ad exprimendam sententiam positam more Ciceronis; ut alibi idem : *non tu eum patria priuare, qua caret, sed uita uis.* »

39. De *amphibrachy* locuti sunt tantum Iuba atque Diomedes. Spondeum anteponendum laudat bis Iuba, uaria dum adhibet exempla (VI 627, 20-21 — cf. etiam 628, 14). « Hae XIIII clausulae possunt et ita esse.... ex spondeo et amphibrachy, ut *mentes nocentum* — ex spondeo et amphibrachy, ut *calcans amicum.* » Laudat etiam molossum, ut *inuadit tonantem* (628, 13). De amphibrachy haec Diomedes (I 470, 2) : « Amphibrachys quoque recte ponitur in clausula, spondeo fere antecedente *ludos habete, recte locutus,* et trochaeo *iustam querellam.* Hinc est illud Tullianum : *et pristinum morem iudiciorum requirunt* et *neminem praeponendum mihi esse actorem putabit* et *in exilium eiciebam quam ingressum iam in bello uidebam* et *contra Caesarem est congressus armatus....* (15) Iam enim de pedibus qui praeponendi sunt parcius loquemur. Et amphibrachys primus *aedem refecit, causam probauit,* et, pro Milone, *clamoresque maximos prae nostra salute neglexit.* » Primum notandum est *iustam,* ante *querellam,* inter spondaeos, non inter trochaeos esse numerandum. Praeterea lineae quae 15 sqq. apud Keilium inscribuntur haud facile intellegas. Diomedes dicit se locuturum esse de pedibus praeponendis et primum de amphibrachy, in exemplis autem quae affert nouissimum uerbum est amphibrachys, paenultimum nullo modo. Deinde exempla omnia non congruunt : *armatus* et *ne-*

Digitized by Google

glexit sunt molossi. Ex his forsan coniciendum est praecepta sua e duobus libris antea editis Diomedem hausisse, ut ultimo lineae cuiusdam uerbo, quod in duobus libris quos ante oculos habebat, aut simile erat, aut similiter cadebat, bis in errorem inductus, perscripserit inconsulto praecepta quae iam imitatus erat antea. Utique, omnium sententia, longa syllaba bacchio aut amphibrachy praeponenda est, quam legem scriptores omnes secuntur.

40. *Dactylus et creticus.* — Maioris est negoti contrahere quae de dactylo aut cretico praescripta sunt. Cicero dactylum structuram male concludere asserit, nisi cum pro cretico positum est (*O.* 217). Quintilianus scribit (104). « Cludet et dactylus, nisi eum obseruatio ultimae creticum facit : *Muliercula nixus in litore.* Habebit ante bene creticum et iambum, spondeum male, peius choreum. » Alii separatim consilia dant de dactylo et cretico. Caesius Bassus et Probus, ante dactylum, laudant creticum (VI 309, 29 — IV 43, 17), antibacchium (310, 1 — 43, 21), paeonem tertium (310, 7 — 43, 21) amphibrachyn (310, 13 — 43, 21), spondeum et iambum (310, 24 — 43, 24), duos iambos (310, 28 — 43, 24), creticum et iambum (310, 33), id est, in summa creticum et trochaeum. « Dactylus, ait Diomedes, in clausula fortis est trochaeo antecedente, *iure fecimus,* pyrrichio, *esse dicitur*, spondeo, *causas audiat, ciues dicimus, iuste fecimus,* et trochaeo, *uota facerat,* et iambo, *fide dicitur.* Et tribrachys quoque dactylum bene praecedit, *recole nomina*, et anapaestus, *repetes cetera;* unde est *gladium nobis ab ipsis porrigi legibus* et palimbacchius, *sepone cetera,* et molossus, *quaerebas dicere* (I 469, 28). » Notandum est autem ab eo trochaeum pro pyrrichio poni (*esse dicitur*) et bis trochaeum nominari (*iure fecimus — uota fecerat*) ut confirmetur quod iam conieci, Diomedem e duobis libris hausisse praecepta. Ex uersibus Rufini (VI 576, 1) colligere licet, ut monstrare tentaui[1], ante dactylum creticum

1. Cf. § 33.

Digitized by Google

aut paeonem quartum ponendos esse. Maurus, ante dactylum, creticum laudat in his uersibus quae supra leguntur.

41. *Creticum* in clausula laudat Cicero, ut uidimus[1]. Item, in libro cui nomen inscribitur *de Oratore,* palmam de omnibus pedibus cretico tribuit et eum clausulis aptissimum putat (183)[2]. Ante hunc pedem paeonem quartum laudat anteponendum (*D. O.* 193). Item Quintilianus (107) : « Creticus et initiis optimus... et clausulis : *in conspectu populi romani uomere postridie.* Apparet uero quam bene eum praecedant uel anapaestos uel ille, qui uidetur fini aptior, paeon. Sicut et se ipse sequitur : *seruare quam plurimos.* Sic melius quam choreo praecedente : *Non turpe duceret?* Si ultima breuis pro longa sit; sed fingamus sic : *Non turpe duceres.* » Ex Probo et Sacerdote nihil laudare possum, ea ipsa causa quam exposui, cum de uerbis trisyllabis in uniuersum locutus sum[3]. Exempla tantum edit Diomedes (I 470, 14), in quibus cretici creticis praeponuntur : *uicisse quam plurimos*[4] — *reposcimus deditos.* Quantum ex uersibus intellegere licet, Rufinus optat ut creticus cretico aut iambo, ultimae parti cretici, postponatur[5]. Terentianus Maurus creticum profert (VI 368, 1439).

Optimus pes et melodis et pedestri gloriae.

Concludere tandem iubet Iulius Victor uel uno cretico (433, 15), uel potius geminatis creticis (433, 17), ita tamen ut hic pes « non saepius frequentetur (27). »

Ne multa, excepto Diomede, unam fere clausulam laudant omnes : creticus cretico iunctus. Paeon quartus, qui a Cicerone et Quintiliano additur, trahitur e cretico, si primam longam

1. *O.* 215 et 217. Cf. § praec.
2. Cf. Pompeium Messalinum (Keil VI 575, 8) et Donatum (Keil VI 577, 6).
3. § 35.
4. Non scribendum est *quamquam plurimos*, ut codices.
5. Cf. § 33.

Digitized by Google

solueris. Item iambus et anapaestus, quos ille laudat, partes sunt alter cretici, alter paeonis quarti. Non iniuria quidem alias structuras laudauit Diomedes, cum, apud Ciceronem, exempli causa, haec usurpentur frequenter.

42. *Molossus et Antibacchius.* — De molosso nihil perspicuum Cicero scripsit; sed, quodam *Oratoris* loco (232), dum laudat clausulum : *Aegyptoque uicerunt*, censere uidetur molosso trochaeum esse anteponendum. His non contradicit Quintilianus (100) : « Ex iis, quae supra probaui, apparet molosson quoque clausulae conuenire, dum habeat ex quocunque pede ante se breuem : *Illud scimus ubicunque sunt, esse pro nobis.* » Plura nobis tradiderunt Probus et Sacerdos. Inter structuras sibi delectabiles nominant amphibrachyn et molossum *probare deberes* (IV 42, 5 — VI 494, 20) — antispastum et molossum : *cohaeredem detraxi* (IV 42, 7 — VI 494, 22) — bacchium et molossum : *cantare fecerunt* (IV 42, 8 — VI 494, 24) — epitritum quartum et molossum : *impellente deuincens* (IV 42, 16 — VI 494, 32). Addunt alias structuras, quae, etsi raro ab aequalibus suis sunt adhibitae, tamen eos delectare possunt, ut bacchium a longa et molossum : *causamque cognouit* (IV 42, 29 — VI 495, 13) — trochaeum et molossum, Basso duce (VI 308, 31) : *ipsa delegit* (IV 42, 30 — VI 495, 14) *uadit armatus* (43, 11) — amphibrachyn et molossum : *probare deberent* (IV 43, 31 — VI 495, 14 — bacchium a longa et molossum : *subscriptor addatur* (IV 43, 2 — VI 495, 18) aut etiam tribrachyn (43, 15) quem Bassus quoque laudauerat (VI 309, 7). Haec omnia, si diligentius inspexeris, redduntur duabis clausulis, trochaeo et molosso aut tribrachy et molosso. Etenim omnes pedes qui molosso praeponuntur componuntur ex tribrachy aut trochaeo et una aut pluribus antepositis syllabis. Eadem fere dicenda sunt de clausulis quae continentur in fragmentis Bobiensibus, quae in Iubam, si Keilio credas, sunt conferenda. Etenim, ex permultis clausulis quas numerat, colligitur ante

Digitized by Google

molossum poni posse trochaeum, ut *sacra maiestas* (VI 627, 5), *fortis Aeneas* (627, 16) — tribrachyn ut *misera libertas* (627, 9), *reuocat insanos* (627, 19). Saepe etiam (627, 26 — 628, 5, 14 et 32) inter optimas structuras trochaeum et molossum esse contendit[1]. Igitur non singulos pedes qui trochaeo finiuntur recenset Iuba, sed breuiter omnia complectitur. Praeterea longam trochaei soluit, ita ut probet tribrachyn. Eadem de trochaeo Diomedes (I 470, 15), qui laudat *rure nutritos, esse sanatos;* eadem quoque Rufinus (VI 566, 25) :

Creticus atque trochaeus erit, qui claudere possunt,
Aut spondeus inest nullo discrimine finis,
Aut uice mutata nomen mutabitur illis,
Principioque trochaeon habes, in fine molossum.

Eadem tandem Martianus Capella (477, 14 sqq) : « Trisyllabis clausulam terminantibus lex est, si modo eam uelis molliter fluere, ut trochaeo praecedente paenultimo molossus subsequatur, siue longam habeat nouissimam syllabam siue breuem iure metrico, ut illud est Tullii : *mare fluctuantibus litus eiectis.* Fit autem pessima clausula, si pro trochaeo paenultimo spondeum praelocaueris, ut si dicas : *mare fluctuantibus, rupes eiectis* : item pessima, si pro trochaeo pyrrichium praemiseris, ut si dicas : *fluctuantibus, apex eiectis.* »

43. De *palimbacchio* aut *antibacchio*, qui molosso similis est, praeterquam ultima syllaba breuis est, haec apud Quintilianum legas (102) : « Contrarius quoque qui est [bacchio] cludet, nisi si ultimam longam esse uolumus optimeque habebit ante se molosson : *Ciuis romanus sum* aut bacchium : *Quod hic potest, nos possemus.* » Notandum est exempla non

1. Scribit (628,5). « Hae sunt optimae structurae, quae ex trochaeo et molosso constant, quem molossum praeposito trochaeo ita soluis ⏑ aut ipsum trochaeum soluas in tribrachyn, ut *naturae tribuit.* » Legendum est « ita soluis ut fiat ionicus minor ut? aut ipsum trochaeum soluas in tribrachyn ut? » Tribrachys enim paenultimus, non ultimus pes clausulae esse debet.

Digitized by Google

congruere praeceptis. *Romanus sum* enim aut epitritus quartus est, aut si, ut licet[1], antibacchium habemus, praeceditur spondeo, non molosso. Item *nos* non potest a *possemus* separari, ut haec uerba inter se copulanda sint et numeranda inter epitritos quartus aut dispondeos, non inter molossos. Multa Probus atque Sacerdos. Aequales, eorum iudicio, ante bacchium a longa, delectabantur ditrochaeo (IV 41, 6 — *trochaeo* Sacerdos VI 493, 19) : *id quod populus Romanus iam diu efflagitat extincta sit atque deleta*; (42, 13-494, 30) : *uindicatur electus* — amphibrachy (42, 3-494, 20) : *dolore detrusus* (*derisus* S.) — altero bacchio a longa (42, 7-494, 24) : *detrudit haeredem* — trochaeo (42, 9-493, 19 et 494, 26) *esse delectum*; (42, 22-495,5) : *sume deceptum*; (42, 27-495, 10) : *securi esse percussum, suus* (om. S.) *iste uexarat, stare non posse* — epitrito quarto (42, 15-494, 32) : *deducente subducunt* (*subducit* S.) — antispato (42, 32-495, 15) : *uoluptate* (*uoluntate* S.) *concedam*. Iuba laudat (VI 627, 5 et 16) trochaeum et antibacchium, ut *doctus orator*, quam structuram aequalibus suis placere dicit; probat item (VI 627, 8 et 19) tribrachyn et antibacchium, ut *timidus orator* aut *reparat orator*. Non respuit Diomedes trochaeum (I 470, 12). « Palimbacchius stabiles clausulas reddit, ut Cicero in Catilinam : *si istius furorem ac tela uitemus* et *nullum id rursus liberum impunitum*. » Horum exemplorum alterum cum praeceptis non conuenit. Tandem Charisius, qui cum Diomede interdum consentit (I 513, 29), nihil proprie de antibacchio praecipit, sed scribit (VI 572, 18), bacchiacum metrum ad prosam conuenire et exemplum affert *bacchare, laetare praesente Frontone*, in quo antibacchius sibi ipsi praemittitur. Denique, ut eorum, quae dixi, summam faciam, omnes, excepto Quintiliano, trochaeum anteponendum censent uel molosso uel antibacchio. Trochaeo Iuba addit tribrachyn, qui, reuera, apud scriptores, ponitur ante molossum, non tam frequenter quam trochaeus.

1. Cf. § 21 : de ultima clausulae syllaba.

Digitized by Google

44. Tetrasyllaba uerba[1]. — Non omnia tetrasyllaba uerba, in fine structurae posita, antiquis placebant. Quintilianus enim nos uetat usurpare non modo uerba ex quinque syllabis, sed etiam uerba tetrasyllaba (64-66). « Ciceronem carpunt in his : *Familiaris coeperat esse balneatori* et *non nimium dura archipiratae.* Nam *balneatori* et *archipiratae* idem finis est qui πᾶσι καὶ πάσαις et qui μηδὲ τοξεύῃ· sed priora sunt seueriora. Est in eo quoque nonnihil, quod hic singulis uerbis bini pedes continentur, quod etiam in carminibus est permolle : nec solum ubi quinae, ut in his, syllabae nectuntur; sed etiam quaternae, cum uersus cluditur *Apennino* et *armamentis* et *Oreione.* Quare hoc quoque uitandum est, ne plurium syllabarum his uerbis utamur in fine. » Item ex uerbis Probi (IV 41, 22) et Sacerdotis (VI 494, 3) apparet ab horum aequalibus non ualde haec uerba laudari[2] : « Quattuor syllabarum structura sic uitabit nostri temporis barbarismum, sicut dissyllaba, quamuis multi non sapienter et in tali compositione barbarismos esse dixerunt (*dixerint* Sacerdos), si paenultima (*paenultimum uerbum* S.) habeant (*habeat* S.) nouissimam syllabam natura longam, ut *ad meam capsam* (*meas capsas* S.) *admisero* et *industriaeque meae contenderem.* Ergo si nos ad huiusmodi (*eiusm.* S.) structuras aliqua necessitas detulerit, poterimus reprehendentes imperitissimos comprobare, si nostrum nosmet (*nosmet nostrum* S.) officium fecerimus, corripientes syllabas breues, longas producentes,... *capsas admisero as* producentes... Nam si hoc ita esset, non in tantum doctrina latuisset ut eam Tullius ignoraret, uel tantum potuisset ut ea post illum et multos ante alios nostris temporibus disceretur (*nosceretur* S), quorum (*uelim* add. S.) obscuram peritiam deuitabo (*deuitare* S.) illorum nobilissima neglegentia decoratus. » Hic locus, ut iam dixi, obscurior est. Si non uerbis decipior, credo

1. De tetrasyllabis uerbis, fere nihil apud Martianum Capellam. Cf. § 27 n. 6.
2. Cf. §§ 28, 29, 35.

Digitized by Google

aequales Probi aut Sacerdotis ultimis quattuor syllabarum uerbis uelle semper praeponi uerba, cuius nouissima syllaba breuis est. Diomedes scribit (I 470, 19) : « Quattuor syllabarum [pedes] non multi ad clausulam apti sunt. » Iuba solum probat (VI 627, 22) uerba ex quattuor longis quarum media breuis est, ut *felicitates*. Sed exemplum ipsum monstrat de quinque syllabarum uerbis Jubam locutum esse. Tandem Martianus Capella ait « penitus fugiendum breues syllabas continuare quamplures (476, 3). »

45. *Paeon IV et Proceleusmaticus.* — De proceleusmatico nihil. Paeonem quartum, Aristotele duce, Tullius laudat (*D. O.* 183), ita tamen ut creticum meliorem habere uideatur (*D. O.* 193). Item in *Oratore* scribit (214) : « verborum ordinem immuta [*temeritas fili comprobauit*],... iam nihil erit, etsi *temeritas* ex tribus breuibus et longa est, quem Aristoteles ut optumum probat, a quo dissentio[1]. » Sequitur eum Quintilianus (110-111). « Non me capit (ut a magnis uiris dissentiam) paeon, qui est ex tribus breuibus et longa. Nam est et ipse una plus breui anapaestos *facilitas* et *agilitas*. Quod qui ita placuerit iis, non uideo, nisi quod illum fere probauerint, quibus loquendi magis quam orandi studium fuit. Nam et ante se breuibus gaudet pyrrichio uel choreo, *mea facilitas*, *nostra facilitas;* ac praecedente spondeo tamen plane finis est trimetri, cum sit per se quoque. » Hunc pedem laudat Rufinus (VI 565, 21). Anteponi iubet Bassus et Probus spondeum (VI 309, 16 — IV 43, 18) aut anapaestum (309, 23 — 43, 20). « Cludit... paeon posterior, ait Iulius Victor (433, 18), si una syllaba ei supersit ». De hac structura mentionem faciam, cum de ionico minore dicendum erit (§ 47). — Ceterum perraro scriptores hoc pede usi sunt. Itaque iure Martianus Capella (476, 3) censet « penitus fugiendum breues syllabas continuare quamplures[2]. »

1. Cf. Donatum (Keil VI 577, 3).
2. Cf. § 44.

Digitized by Google

46. *Paeon III et Ionicus minor.* — Venimus nunc ad illum paeonem tertium et ionicum minorem, qui formant hanc Ciceronis clausulam *esse uideatur,* quam « tertio quoque sensu... pro sententiae positam » dicit Tacitus a suis aequalibus derideri[1]. Etsi nihil de ionico minore apud Ciceronem inuenis, tamen, cum, in *Oratore,* laudentur clausulae *mercatoresque superarunt* et *poluisse superari* (232), ex his exemplis conicere licet, Tulli sententia, trochaeum ionico minori esse anteponendum. Quintilianus contra (101) : « Minus grauis erit spondeus praecedente pyrrichio, ut *Iudici Iuniani,* et adhuc peius priore paeone, ut *Brute dubitaui.* » Eo magis mirandum est hanc clausulam a Quintiliano reprehendi, quod, paulo infra (104), probat clausulam *dignitate superabat : superabat* autem paeon tertius est, qui simillimus est ionico minori, si ultimam excipias syllabam, quae communis haberi potest[2]. Sine dubio praebuit errorem quod Quintilianus uoluit structuram *Brute dubitaui* ex paeone primo, quem in compositionibus non adhibuit, et spondeo esse compositam. Nam fatetur ipse meliorem esse hanc formam, si uolumus esse dactylum et bacchium. Quanto melior si, ut est, eam componi uolumus ex trochaeo et paeone tertio ! Ante ionicum minorem Caesius Bassus laudat trochaeum (VI 308, 32) et tribrachyn (309, 7). Hunc secutus est Probus (IV 43, 12 et 15) : praeterea Probum et Sacerdotem delectat anapaestus (IV 42, 5 — VI 494, 22), ut *modicis* (*-cos* S) *coluerunt,* nec considerant hanc clausulam hexametri finem esse, dactylum (42, 12 — 494, 29) ut *omnia placuerunt,* ionicum maiorem (42, 19 — 495, 1) ut *contagia doluerunt.* Iuba tantum trochaeum laudat : *fata repararint* (627, 17) aut *ipse Diomedes* (628, 5)[3].

1. *Dial. de Or.* 23.
2. Cf. § 24.
3. Scribit infra (628, 15) : : Hae sunt optimae structurae quae ex trochaeo et molosso constant, quem molossum praeposito trochaeo ita soluis ⏑ aut ipsum trochaeum soluas in tribrachyn. » Censeo sic supplenda esse quae desunt : « ita soluis ut fiat ionicus minor. » Cf. § 42 n.

Digitized by Google

47. Ante *paeonem tertium*, trochaeus fere ab omnibus laudatur. Ipsum Quintilianum, ut uidimus, delectat *dignitate superabat* (104), quam uult esse ditrochaeum, pyrrichium spondeumque. Probus et Sacerdos, inter clausulas optimas, notant paeonem tertium et anapaestum (IV 42, 4 — VI 494, 21) *fieri potuisset*, trochaeum (42, 10 — 494, 27), qui, ut aiunt, « facient illam structuram Tullio peculiarem *esse uideatur*[1] », dactylum (42, 14-494, 30), dum exemplum afferunt creticum : *curiam renouare*, bacchium a longa (42, 26-495, 9) : *pudentem exitum quaesisse uideatur*, tandem choriambum (43, 6-495, 23), qui, non secus ac anapaestus, in metrum cadit : *composuit* (— *sui* S) *rationem*. Iuba trochaeum modo anteponendum censet, ut *poena capitalis* (627, 6), *templa renouauit* (16), aut *corpus animauit* (628, 2). Hanc clausulam quidem annumerat tribus structuris quae suos aequales maxime iuuabant (628, 33). Diomedes arbitratur huic pedi satis esse breuem anteponi (I 470, 20). « *Videatur, habeatur* et similia pedem habent paeona III ex duabus breuibus et longa et breui temporum quinque, ante quem breuis fere syllaba conlocanda est, ut *esse uideatur, facere uideatur, fortis habeatur*. Sic Tullius pro Cluentio *quantum difficultatis et quantum laboris sit habitura*, et in Catilinam *cum omnibus potius quam soli perire uoluerunt*. » Trochaeum rursus modo laudat Rufinus (VI 566, 2).

> Tullius hunc [paeonem] laudat, cui sit paenultima longa :
> « Esse » trochaeus adest, « uideatur » tertius ille,
> Quem paeana uocat Musis deuota uetustas.

Trochaeum quoque probat Iulius Victor, cum de paeone quarto loquitur (cf. § 46), trochaeum tandem et Martianus Capella (477, 23), ita tamen ut, Diomedis instar, tribrachyn addat elegantis clausulae exemplar (30), non iniuria quidem, cum hunc pedem ante paeonem tertium interdum reperias apud scriptores[2].

1. Hunc locum laudauit Rufinus 577, 8.
2. Exemplum quod adhibet « curas regere animorum » iam laudaui de elisione (§ 25).

Digitized by Google

48. *Paeon II et Diiambus.* — De his pedibus fere nulla mentio facta est, quia, ut opinor, perraro eos adhibuerunt scriptores, qui ad finem uersus uitandam semper animum intendebant. Probus tantum, Bassi aemulatione (VI 309, 18 et 21), inter compositiones, laudat spondeum et paeonem secundum, ut *ultis recesserant,* aut anapaestum et paeonem secundum (IV 43, 19-20).

49. *Antispastus et Epitritus I.* — Plura de antispasto quam de epitrito secundo. Qua ratione nescio. Ante antispastum, si Probo Sacerdotique credas, apte poni possunt amphimacrus, id est creticus (IV 42, 25 — VI 495, 9) *maxime laboraret* et dactylus (42, 33-495, 17) *corpora* (— *re* S)*perhorresco.* Juba nos hortatur ut utamur dactylo (VI 627, 12) *dedecus amicorum,* anapaesto (627, 13) *cupidus uoluptatum,* amphimacro (627, 13) *impetus retardauit.* Paulo infra, his pedibus tribrachyn addere uidetur (628, 8). « Quotiens uero pes praecedit, qui mediam breuem habet, id est amphimacros, dactylus, tribrachys, hi [ergo] subiciendi sunt,... antispastus, ut *Helena maritatis,* + *carina repercussa.* » Denique, ex his quae scribit Diomedes (I 470, 29) : « Ille quoque pes quem antispastum uocant ex breui et longis duabus et breui bene in clausula ponitur, ut *uir optimus uideretur* et *sua manu sororem interfectam esse fateretur.* Simile est *Hortensius perorauit.* » concludere licet huic grammatico placere quemuis pedem, dummodo nouissimam habeat syllabam longam. Ceterum omnes consentiunt ut antispasto praeponere iubeant aut longam syllabam aut ambas breues syllabas.

50. De *hippio* aut *epitrito* primo, ut hunc pedem nominare libet, meminerunt tantum Caesius Bassus[1], cui spondeus (VI 311, 4) creticus (7) et iambus (12) antepositi probandi uidentur, Probus (IV 42, 9) et Sacerdos (VI 494, 26), qui delectabilem

1. Cf. § 62.

Digitized by Google

arbitrantur structuram e choriambo et hippio primo compositam, ut *condidimus sepultura*. Mentionem facit Sacerdos solus (494, 35) de epitrito tertio et hippio primo *prouincia recedentis*. Sic utique hippium primum, non secus ac antispastum, syllaba longa praecedit.

51. *Paeon I et Choriambus*. — Paeonem primum initiis tribuit, duce Aristotele, Tullius (*D. O.* 183)[1]. Eadem praecepta dat Quintilianus (106 et 111); nam pes iste, ut ait, « et primam stabilem et tres celeres habet. » Addit tamen : « hoc quoque meliores alios puto. » Excepto Quintiliano, nemo hunc pedem commemorauit, praeter Jubam, qui anteponendum probat trochaeum ut *fracta nauicula* (VI 627, 7) aut *iste legitimus* (628, 7) et Iulium Victorem, qui eum pulchre cludere arbitratur, si spondeus ei supersit (433, 18). Pauca etiam de choriambo, etsi peculiariter initiis datur. Bassus atque Probus laudant trochaeum et choriambum, ut *magnus incutiens* (VI 308, 33 — IV 43, 12), aut tribrachyn et choriambum (309, 9-43, 15). Juba trochaeum quoque laudat (VI 628, 7), non secus ac Martianus Capella (477, 27). Ceterum hoc pede raro usi sunt scriptores : qua ratione, ex gallica thesi apparere arbitror.

52. *Ditrochaeus et epitritus II*. — Non eodem loco locuti sunt rhetores ac grammatici de epitrito aut hippio secundo ac de ditrochaeo, cuius ultima syllaba breuis est, ita tamen ut possit longa haberi. Ditrochaeum in *Oratore* effert laudibus Tullius (212-215). « Insistit autem ambitus modis pluribus, e quibus unum est secuta Asia maxime, qui dichoreus uocatur, cum duo extremi chorei sunt, id est e singulis longis et breuibus... Cadit autem per se ipse ille praeclare[2]... Me stante C. Carbo C. F. tribunus plebis in contione dixit his uerbis : « ... patris dictum sapiens temeritas fili comprobauit. » Hoc

1. Cf. Donatum (Keil VI 577, 3).
2. Cf. Pompeium Messalinum (Keil VI 575, 16) et Donatum (Keil VI 577,2).

Digitized by Google

dichoreo tantus clamor contionis excitatus est, ut admirabile esset. Quaero nonne id numerus effecerit? Verborum ordinem immuta, fac sic : « comprobauit fili temeritas », iam nihil erit, etsi *temeritas* ex tribus breuibus et longa est, quem Aristoles ut optumum probat, a quo dissentio. » Possumus etiam suspicari, huius sententia, creticum ante ditrochaeum aptissime cadere, cum Gracchi clausulam : « quin eiusdem hominis sit, probos improbare, qui improbos probet » sic mutet : « quin eiusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare (*O.* 233). » Ex uerbis quae usurpavit Quintilianus apparet eum non ualde ditrochaeo delectari. Primum laudat uerba Ciceronis, in quibus commemorat quo plausu accepta fuerit clausula : *temeritas fili comprobauit* (103), sed addit (105) : « Non optimus est trochaeus, si ulla est ultima breuis; quod certe sit necesse est : alioqui, quomodo claudet, qui placet *plerisque* dichoreus? » Ante hunc pedem probant Probus atque Sacerdos tribrachyn *Ab istius petulantia non est licitum conseruare* (IV 41, 4 — VI 493, 17) aut *Cererem decanamus* (42, 22 — 495, 6) etsi *Cererem* non est tribrachys — dactylum (41, 5 — 493, 18) *quae sunt C. Verri cum his ciuitatibus communicata* (*copulata* S iure, ut uidetur)[1] aut *hostibus temperare* (42, 11 — 494, 29) etsi *copulata* et *temperare* cretico, non dactylo praecedantur reuera — epitritum tertium (42, 16-494, 34) *piratica* (— *co* S) *liberasset* — ionicum maiorem (42, 19-495, 3) *depellere castitatem* — proceleusmaticum (42, 28-495, 12), qui ex exemplo *populus romanus uoluerit uindicare* est paeon quartus — choriambum (42, 32-495, 16) *ingenio sustinere* — paeonem primum, qui est item choriambus (43, 1-495, 17) *iudicium sustinebit* — tandem iambum (43, 5-495, 22) *diu machinatur.* Iuba anteponendum arbitratur dactylum, ut *Romulus amputauit* (VI 627, 10) *optimus imperator* (627, 23) *sidera iudicabant* (628, 9) — anapaestum ut *oculus uirginalis* (627, 11) — amphi-

1. Verbis Probi, post *dactylo,* addendum est *et ditrochaeo* ut liquet ex Sacerdote

Digitized by Google

macrum (627, 11-628, 9) ut *optime cantitastis*, aut *insulam comparauit* (627, 23), cum *insulam* creticus sit, non amphibrachys, ut scripsit iniuria — tribrachyn (628, 9), aut denique quiduis. Ait enim (628, 3) : « Clausulae his placentes temporibus huiusmodi esse noscuntur : ... tertia [clausula], si quemcumque pedem ditrochaeus terminet [finem], ut *accepit cantilenam.* » Eadem fere Diomedes (I 470, 25) : « Struimus et ditrochaeo : *dicere maluerunt, ausus est confiteri, crimina detulerunt...* Inde est pro Ligario *aut leuium Graecorum aut immanium barbarorum* et pro Milone *pro salute bonorum contra amentiam perditorum.* » Rufinus haec tantum (VI 576, 6) :

Rhetoricis Asiae placuit bis fine trochaeus,

ut ex his omnibus colligi possit ditrochaeo quemuis pedem posse anteponi.

53. His non dissentiunt quae praecipiuntur de *epitrito secundo*. Probat Caesius Bassus, quem imitatus est Probus, spondeum (VI 311, 5 — IV 43, 26), creticum (311, 9-43, 27) et iambum (311, 13-43, 27). Huic pedi Probus et Sacerdos anteponendum censent creticum (IV 142, 6 — VI 494, 23) *optime nauigaui*, — bacchium (42, 8-494, 25) *dolores detulerunt* — epitritum tertium (42, 17-494, 36) *dilexerant Caepiones, praedonios uindicasti* — iambum (43, 26), diiambum (43, 2-495, 19) *iniuria commoueri*, id est, in summam, quiduis, sicut ditrochaeo. Dactylum laudat Iuba (627, 24) : *arbiter imperandi.* Diomedes scribit (I 470, 26) : « Struimus et ditrochaeo... et paeone III, *exercitum compararunt, nuntium pertulerunt.* » Legendum est non *paeone III* sed *epitrito II*, ut monstrant exempla, quae usurpauit. Erroris causa est quod, proxime ditrochaeum, locutus erat de illo tam celebri paeone tertio.

54. *Ionicus maior et epitritus III.* — Non longum est percensere praecepta quae de ionico maiore ac epitrito tertio

Digitized by Google

edita sunt. Etenim de epitrito, quotiescumque postremum tenet locum, Bassus et Probus anteponendos laudant trochaeum (VI 309, 2-IV 43, 13) et tribrachyn (309, 11-43, 13). His addidit Probus spondeum et iambum (43, 27). Trochaeum probauit Juba, *uita felicior* (VI 627, 7), *arua Iunonia* (627, 18), *ipse Iunonius* (628, 7) nec respuit tribrachyn (627, 20-628, 7) : *numerat impendia*. His consentit Diomedes : « Et ille pes qui uocatur ionicus maior struit clausulam constatque syllabis longis duabus et breuibus duabus : *curam sollicitudinemque* [*de*] *ponite*. Unde est illud : *quorum igitur impunitas, Caesar, tuae clementiae laus est, eorum te ad crudelitatem acuit oratio.* »

55. *Epitritus IV et dispondeus*. — De his pedibus meminerunt modo Probus atque Sacerdos. Ante hippium seu epitritum quartum laudant paeonem primum (IV 42, 20-VI 495, 4) ut *decipere contendebat* (Probus iniuria scripsit *contendebant*), tribrachyn (43, 3-495, 20) *cuius quaestor fuerit accusare* aut dactylum (43, 4-495, 21), qui, reuera, creticus est : *procellam temporis deuitare*. Dispondeo anteponendum censent dactylum (42, 14-494, 31) *lumina deponebant* et paeonem secundum (42, 21-495, 4) *pericula deuitasti*. Addit Sacerdos (494, 33) epitritum quartum ut *contemnere persuadenti*. Sed *contemnere* ionicus minor est, non epitritus quartus. Praebuit errorem quod antea locutus erat de epitrito quarto : idem iam notauimus (§ 53).

56. Verba ex quinque syllabis. — Pedes quinque syllabarum rhetoribus atque grammaticis non ualde placent. Vetat Quintilianus adhibere uerba ut *balneatori, archipiratae* (64), *Tyndaridarum* (65). Hunc secutus est Diomedes (I 469, 15). « Sane quotiens una pars orationis [hoc significat unum uerbum] anapaestum et trochaeum receperit, mollem et quasi lubricam structuram dabit, ut *archipirata* et *parricidarum*. » Respuit item uerba ut *facilitatis, agilitatis, temeritatis* (469, 20). Qua ratione

Digitized by Google

supra exposui[1]. Scribit item infra : « ... Verba quae quinque syllabis constant fluxiorem structuram faciunt : *reprehendetis, arbitremini, inueniretis* » (I 471, 2). Non omnes pedes tamen rhetores et grammatici respuunt. In Oratore (218), quouis loco aptum, dum semel ponatur, Cicero declarat dochmium, e breui, duabus longis, breui, longa, ut *amicos tenes*[2]. Tullio duce, scripsit Rufinus (VI 566, 6) :

Rhetoricas pulchre structuras dochmius ornat...
Prima breuis, longaeque duae, breuis, ultima longa,
Exemplumque artis dabitur *respublica* uobis,
Quam Cicero casu genetiuo ponere gaudet.
Hoc pede composito laudatur fama pedestris,
Ut docet Ausonius orator Tullius ingens,
Omnibus iste locis numerum pes efficit aptum :
Longa breuem sequitur, longam breuis, addite longam,
Syllaba prima breuis, tum syllaba longa secunda,
Tertia longa, breuis quarta perductaque quinta :
Tullius orator, ceu multi, dochmius ornat.

Addit etiam (576, 7) :

Principia et medium et finem tibi dochmius ornat.

Probus non repudiat uerba quinque syllabarum quarum tertia sit longa, dum trochaeo (IV, 43, 14) aut tribrachy (43, 15) praecedantur, ut *ille repugnabilis*. Igitur censet dochmio praeponendum esse trochaeum aut tribrachyn. Sed plerique scriptores longam syllabam jusserunt ante dochmium poni. Praeterea Bassus laudat trochaeum aut tribrachyn, quotiescumque eos sequitur uerbum ut *miserabilis*. Probus, loco *miserabilis* scribit *repugnabilis*, iniuria quidem, ut uidetur (VI 309, 4 et 12 — IV 43, 14 et 15). Ambo inter compositiones numerant iambum, creticum aut spondeum praecedentem pentasyllaba uerba, quorum duae primae breues sint (311, 16 et 25-43, 28 et 30) aut quorum secunda breuis sit (311, 19 et 21-43, 28 et

1. Locum laudaui, §§ 3 et 11.
2. Cf. Pompeium Messalinum (Keil VI 575, 11) et Donatum (VI 577, 4).

Digitized by Google

30). Juba de his uerbis plura uerba facit (VI 628, 17) : « Praeponis istis pedibus quinarum syllabarum quosuis alios in elocutione... excepta hac structura, quae quinque breues habet et est barbarismus Afer, uel ex longis Hispanus [quos debeamus in fine clausularum obseruare]; uel ne sint III longae aut IV breues,... ne sint III trochaei, ne sit uersus heroici principium uel finis, et ne sint duae breues, tres longae, et tres dactyli. » Haec eadem uersibus statim includit :

> Quinque breues, totidem longas triplicemque trochaeum
> Heroicique caput finemque cauete, diserti.

Praeterea, ut exemplum ipsum monstrat, ad uerba quinarum syllabarum conuertenda sunt quae de uerbis tetrasyllabis exposuit (VI 627, 22). Inter clausulas laudat eam quae constat « ex quattuor longis, quarum media breuis est, ut *felicitates.* » *Felicitates* quinque syllabarum uerbum est.

57. Verba ex sex syllabis. — Haec tantum apud Diomedem. Postquam dixit uerbis quinarum syllabarum fluxiorem fieri orationem, addit : « Eo magis, si sex syllabas habeant, *excogitaretis, arbitraremini, interrogauerunt, desiderauerunt* et similia (I 471, 1). » — De ceteris uerbis, quae apud scriptores perraro inuenias, nihil a rhetoribus grammaticisque nobis traditum est.

58. Quid sit concludendum. — Ex his sequitur plerosque grammaticos et rhetores consentire de quibusdam pedibus : amphibrachy et bacchio, dactylo aut cretico, molosso aut antibacchio, paeone tertio aut ionico minore, antispasto aut epitrito primo, ditrochaeo aut epitrito secundo. Ceteros pedes si diligentius inspexeris, reperies plerumque aut raro usurpatos esse, ita ut grammatici pauca exempla haberent ex quibus praecepta ponerent, aut de his singulos scriptores non sibi constare, sicut de iambo[1].

1. Cf. § 31.

Digitized by Google

III. De clausularum partitionibus.

59. Has omnes structuras repertas tentauerunt quidam grammatici artificiose redigere, ut compositiones inter se iungerent quae paenultimi uel ultimi uerbi metrica similitudine congruebant. Juba scribit (VI 627, 2) : « Quattuordecim tibi structurarum praecepta transmisi, ex quibus uelut gubernaculum compositionum teneres. Hinc enim reliquas aut per ampliationem aut per solutionem nasci, si animaduerteris, comprobabis. Ex trochaeo et palimbacchio, ut *doctus orator* — ex trochaeo et molosso, ut *sacra maiestas* — ex trochaeo et paeone tertio, ut *poena capitalis* — ex trochaeo et paeone primo, ut *fracta nauicula* — ex trochaeo et ionico maiore, ut *uita felicior* — ex tribrachi et palimbacchio, ut *timidus orator* — ex tribrachi et molosso, ut *misera libertas* — ex spondeo et bacchio, ut *fulmen tonantis* — ex dactylo et ditrochaeo, ut *Romulus amputauit* — ex antipasto et ditrochaeo, ut *oculus uirginalis* — ex amphimacro et ditrochaeo, ut *optime cantitastis* — ex dactylo et antispasto, ut *dedecus amicorum* — ex anapaesto et antispasto, ut *cupidus uoluptatum* — ex amphimacro et antispasto ut *impetus retardauit*.

« Hae XIIII clausulae possunt et ita esse, ex trochaeo et molosso, ut *fortis Aeneas* — ex trochaeo et antibacchio, ut *doctus orator* — ex trochaeo et paeone III, ut *templa reuocauit* — ex trochaeo et ionico minori, ut *fata repararint* — ex trochaeo et ionico maiori, ut *arua Iunonia* — ex tribrachi et molosso, ut *reuocat insanos* — ex tribachi et palimbacchio, ut *reparat orator* — ex tribrachi et ionico maiori, ut *numerat impendia* — ex spondeo et amphibrachy, ut *mentes nocentum* — ex spondeo et amphibrachy, ut *calcans amicum* — ex quattuor longis[1], quarum media breuis est, ut *felicitates* — ex amphi-

1. Cf. §§ 44 et 56.

Digitized by Google

brachy et ditrochaeo, ut *insulam comparauit* — ex dactylo et ditrochaeo, ut *optimus imperator* — ex dactylo et epitrito II, ut *arbiter imperandi.*

« Sed et has, quas memoraui clausulas, si acrius aduertas, in duarum generalium numerum reputabis, ex trochaeo et molosso, tribrachy et ditrochaeo. »

60. Quomodo clausula *arma sumpsi* nasci possit ex iis quae memoratae sunt a Juba, equidem non uideo. Utique, hos catalogos inter se si contuleris, inuenies hoc tantum similes esse, quod neutri insunt disyllaba uerba, et quod ultima syllaba non indifferens habetur, cum, initio prioris indicis, palimbacchius a molosso diuidatur, et alterius fine, epitritus secundus a ditrochaeo. Ceterum septem modo clausulae in utroque catalogo inueniuntur, quae prima, secunda, tertia, quinta, sexta, septima, nona sunt inter structuras prioris indicis. Etiam cum in utroque libello easdem clausulas Juba laudat, non eisdem utitur exemplis. Ad trochaeum et molossum, adhibuit *sacra maiestas* et *fortis Aeneas;* item ad alias compositiones, excepto trochaeo et palimbacchio. Ex his colligere licet Jubam duos dissimiles indices exscripsisse, quos a prioribus libris mutuatus erat. Alia argumenta sunt : in altero catalogo, utitur uocabulo *palimbacchio,* in altero *antibacchio;* scribit modo *in ionico maiore,* modo *in ionico maiori;* praesertim, in posteriore indice, structurae ponuntur prout paenultimum uerbum est trochaeus, tribrachys, spondeus, amphibrachys et dactylus, cum *felicitates* sine dubio resolui debeat in spondeum et bacchium; non idem est ordo prioris indicis. Octo exempla quae initio percenset disponuntur prout paenultimum uerbum trochaeus est, tribrachys aut spondeus : postea uero paenultimum uerbum Iuba non iam curare uidetur et attendit animum ad ultimum uerbum, prout ditrochaeus est aut antispastus. Ita, in priore indice, liquet fragmentorum Bobiensum auctorem duos catalogos contaminauisse, quorum alter uerba ex

Digitized by Google

paenultimo uerbo, alter ex ultimo digerebat. Sed, si alterum catalogum propius perspexeris, arbitrabere duos iudices in hoc quoque componendo esse perscriptos. Etenim scribit : « Hae XIV clausulae possunt et ita esse... ex spondeo et amphibrachy, ut *mentes nocentum* — ex spondeo et amphibrachy, *calcans amicum.* » Iuba autem non bis laudauisset hanc eamdem formam, dum diuersis exemplis utitur, si non ante oculos positi fuissent duo libri, qui eodem ordine eosdem pedes diuersis quidem exemplis persequebantur. Inconsultus transcripsit ex altero quod iam ex altero mutuatus erat.

61. Etiam nobis a grammaticis traditae sunt partitiones, in quibus clausulae ex uerbo paenultimo disponebantur. Haec apud Victorinum (VI 573, 18) : « Creticum... si sequatur spondeus uel trochaeus, bonam compositionem facere dicunt. » Ipse Juba scribit (VI 628, 5) : « Hi pedes, quotiens trochaeus locum paenultimum tenet, sunt congrui structuris, molossus, ut *natus Aeneas;* ionicus minor, ut *ipse Diomedes;* ionicus maior, ut *ipse Iunonius;* choriambus, ut *ite canticuli;* paeon primus, ut *iste legitimus.* Quotiens uero pes praecedit, qui mediam breuem habet, id est amphimacros, dactylus, tribrachys, hi [ergo] subiciendi sunt, ditrochaeus, ut *sidera iudicabant,* antispastus, ut *Helena maritalis,* + *carina repercussa.* Quotiens autem spondeus praecedit, bacchius postponendus, ut *fulmen tonanti...* » Item Martianus Capella (477, 14) : « Trisyllabis clausulam terminantibus lex est... ut trochaeo praecedente paenultimo molossus subsequatur... Fit autem pessima clausula, si pro trochaeo paenultimo spondeum praelocaueris..., item pessima si pro trochaeo pyrrichium praemiseris *sqq.* » Tandem Iulius Victor haec scribit (433, 15) : « Concludere autem aut creticus, ut una syllaba ei supersit, potest... Cludit et paeon primus, si spondeus ei supersit, et paeon posterior, si una syllaba ei supersit. » Immo Probus colligit octo compositiones, quarum in sex primis, ut monstrant ipsa uerba,

Digitized by Google

quibus utitur, paenultimum uerbum semper eumdem pedem format (IV 43, 11). « Compositio prima a trochaeo et molosso, ut *uadit armatus,* trochaeo et choriambo ut *magnus incutiens,* trochaeo et ionico minore, ut *doctus imitatur;* ex trochaeo et ionico maiore, ut *uictus incesserat;* ex trochaeo et quinque syllabis, quartum tertia sit longa, ut *ille repugnabilis;* ex tribracho et isdem. Compositio secunda ex amphimacro et spondeo, ut *dixerat magnus;* ex amphimacro et anapaesto, ut *maximus Fidius;* ex amphimacro et dactylo, ut *Mulciber fecerat.* Compositio tertia ex spondeo et paeone quarto, ut *docti facilitas;* ex spondeo et bacchio, ut *magnae repulsus;* ex spondeo et paeone secundo, ut *ultis recesserant;* ex anapaesto et isdem. Quarta ex palimbacchio et spondeo, ex palimbacchio et anapaesto, ex palimbacchio et dactylo, ex paeone tertio et isdem, ex amphibracho et isdem. Quinta ex spondeo et iambo, ex spondeo et tribracho, ex anapaesto et isdem. Sexta ex spondeo et iambo et spondeo, ex spondeo, iambo et dactylo, ex duobus iambis et spondeo, ex duobus iambis et dactylo, ex disyllabo iambo et spondeo, ex trisyllabo trochaeo et trochaeo. » Addit duas structuras, quas disponere non poterat inter alias (IV 43, 26). « Septima [compositio] ex spondeo et epitrito secundo, ex spondeo et epitrito III, ex iambo et isdem, ex trisyllabo et isdem. Octaua ex spondeo et quinque syllabis, quarum duae primae breues sint; ex spondeo et pentasyllabo, cuius secundae breues sint; ex iambo et isdem; ex trisyllabo et isdem. »

62. Quem pedem designet hoc uerbum « trisyllabum », haud equidem exponere possim, ni Caesius Bassus eadem explicuisset, sed productius atque fusius. Probus enim, aut, rectius, qui ex Probi libris grammaticis excerpta fecit[1], Caesium Bassum, excepto quod pauca mutaverit aut omiserit[2], ad uerbum

1. Cf. § 77.
2. Secundam Caesi structuram tertio loco posuit et tertiam secundo. Omisit in

Digitized by Google

expressit, ita tamen ut et exempla mutaret et, omnia dum breuius contrahit, obscura multa redderet. Exempli gratia, Probus scribit (IV 43, 15) : « Compositio tertia ex spondeo et paeone quarto, ut *docti facilitas,* ex spondeo et bacchio, ut *magnae repulsus;* ex spondeo et paeone secundo, ut *ultis recesserant,* ex anapaesto et isdem. » Haec autem apud Bassum leguntur (VI 309, 15) : « Item secundum genus compositionis. Ex spondeo et bacchio, id est ex longis duabus et breui una et longis duabus, *hostes subacti.* Ex spondeo et paeone quarto, id est ex longis duabus et breuibus tribus et longa una, *bellum reficiunt.* Ex spondeo et paeone secundo, id est ex longis duabus et breui una et longa una et breuibus duabus, *armis repleuerat.* — Ex anapaesto et bacchio, id est ex breuibus duabus et longa una et breui una et longis duabus, *aditus sonantes.* Ex anapaesto et paeone secundo, id est ex breuibus duabus et longa una et breui una et longa una et breuibus duabus, *iaculis frequentibus.* Ex anapaesto et paeone quarto, id est ex breuibus duabus et longa una et breuibus tribus et longa una, *pedites refugiunt.* » Cetera de genere hoc. Quod ad ultimas compositiones attinet, post « ex duobus iambis et dactylo », sic fere legenda sunt uerba Probi : « ex trisyllabo cuius media breuis sit, id est ex cretico, iambo et spondeo... *praelium cupit fortes.* Ex trisyllabo, iambo et dactylo... *turbines timet fluctuum.* Ex trisyllabo, iambo et anapaesto, *gurgites secant trepidi.* Ex trisyllabo, trochaeo et spondeo, *laribus auget urbem.* Septima ex spondeo et epitrito primo, ex spondeo et epitrito secundo, ex trisyllabo cuius media breuis sit, id est cretico, et isdem, ex iambo et isdem. Octaua ex spondeo et pentasyllabo, cuius duae primae breues sint, ex spondeo et pentasyllabo cuius secunda breuis sit, ex trisyllabo, cuius media breuis sit, id est cretico, et isdem, ex iambo et

tertia compositione amphimacrum et bacchium (Caesius 308, 31), in sexta spondeum, iambum et anapaestum (Caesius 310, 22). In septima scripsit epitritum primum, dum Bassus epitritum tertium laudat.

Digitized by Google

isdem. » Has librariorum mendas sustuli Basso duce (VI 310, 31 sqq.).

63. Nomina etiam compositionibus tribuebantur, quod nos docet Diomedes (I 471, 32). « Si paenultimus fuerit pyrrichius, optime succedit paeon primus et erit structura quadrata. Si paenultimus fuerit spondeus et successerit tribrachys uel pyrrichius, erit structura incisa. Si paenultimus fuerit tribrachys uel pyrrichius et paeones successerint primus et nouissimus, erit antiqua structura, quae dicitur confragosa; qua usus est Cato. Si in paenultima tribrachys fuerit uel dactylus, uel pyrrichius, et successerit uel tribrachys, uel molossus uel pyrrichius uel anapaestus, erit structura quae uel delumbis, uel fluxa, uel mollis dicitur; qua usus dicitur Antonius maior. » Omnes hae structurae perraro usurpatae erant; immo credideri m eas esse uitandas, eo quod fere omnia uocabula, *incisa*, *antiqua, confragosa, delumbis, fluxa* aut *mollis* cadunt plerumque in uituperationem magis quam in laudem.

64. Ceterum, meo quidem iudicio, his distributionibus nominibusque sine dubio in scholis modo utebantur magistri, ut structuras animis discipulorum facilius altiusque imprimerent.

Digitized by Google

PARS III

DE FONTIBUS GRAMMATICORUM AC RHETORUM

65. Quae fides singulis grammaticis rhetoribusque, quorum praecepta quasi in corpus redegi, cum inter se non constant, sit adhibenda, nunc quaerendum est. Diuersas duas rationes ingredi mihi licebat. Comparare satis erat clausulas a grammaticis laudatas cum clausulis a scriptoribus aetatis eiusdem usurpatis, ut ex hac collatione statim eluceret quis laudauerit tantum clausulas quibus, inter aequales, eminentissimus quisque usus sit, quis uero structuras omnes ullo sine delectu ex ordine contentus sit perscribere. Cum uero apud perpaucos scriptores exploratae sint accurate clausulae, erroris periculum adiret, si quis iamnunc hac collatione breuiore uellet uti. Utile igitur duco perscrutare modo quibus ex fontibus hauserint grammatici atque rhetores ad opera componenda, ut ex eo iam appareat quid quisque ualeat, cum eorum auctoritas ab antiquioribus auctoribus quos secuti sint saltem aliqua parte pendere constet.

66. « Cicero, ait Quintilianus, eminentissimos Graecorum est consecutus (79). » Quippe de numero, auctores tantum Graecos nominat, Thrasymachum (*O.* 175), Gorgiam (*ib.*), Isocratem (*O.* 172, 174, 175, 176), Theodorum Byzantium (*O.* 39),

Digitized by Google

Ephorum (*O.* 172, 191, 192, 194, 218), Naucratem (*O.* 172 — *D. O.* III 173), Aristotelem (*O.* 39, 172, 192, 193, 194, 214, 218, 228 — *D. O.* III 182, 183, 193), Theophrastum (*O.* 39, 172, 194, 218, 228 — *D. O.* III 184), Theodectem (*O.* 172, 194, 218) et Hieronymum (*O.* 190). Nullo modo mirandum est Ciceronem graecis auctoribus usum esse, cum a Graecis tota Romanorum grammatica sumpta esse uideatur[1].

67. Quem uero Tullius praecipue secutus sit, dignosci, credo, potest. Etenim Gorgias, Theodorus Byzantius, Isocrates, eiusque discipuli Ephorus et Naucrates, cum ad dicendum totos se contulissent, numero quidem utebantur ut orationes ornarent, minime autem de eo disputabant. Quod ad Gorgiam pertinet, Morawski assentior qui putat illos antiquos paucis de numeris disseruisse[2]. Hieronymus praeteriens tantum hanc materiam tractauit. Relinquntur Aristoteles, Theophrastus et Theodectes. Sed Theodectem modo Tullius nominat cum historiam attingit eloquentiae in *Oratore* (39), immo Aristotelem ab eo exscriptum esse dicere uidetur. Ex his igitur concludere licet Tullium ab Aristotele Theophrastoque mutuatum esse omnia, quibus non diluit ea quae ab aequalibus contra structuram rhetoricam disputabantur[3].

68. Multa ex Aristotele, quem « optimum auctorem » nominat (*O.* 196), imitatus est Tullius[4] : praesertim de numero, etsi non eadem semper sentit ac Stagirites, mirus est sententiarum saepeque verborum consensus, ut dubitari non possit quin Tulli praecepta ab Aristotele pendeant. Hoc facilius perspicietur, si utriusque uerba contulero.

1. Cf. Froehde, *die Anfangsgruende d. römischen Grammatik,* p. 15.
2. *Quaestiones Quintilianeae,* p. 20.
3. Cf. § 85 sqq.
4. Cf. Jentsch, *op. cit.* Nihil autem inuenias in duobus libris eiusdem Jentsch, cui nomen inscribitur : *De Aristotele Ciceronis in rhetorica auctore,* pars I 1874, pars II 1875, Guben (progr.), in-4°, 24 et 26 pp.

Digitized by Google

Haec sunt quae a Cicerone ex octauo Rhetoricae libri III capitulo, qui ad numerum pertinet, de graeco conuersa sunt in latinum[1].

P. 1408 b, 20. Poeticae III, 8. Τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι μήτε ἄρρυθμον· τὸ μὲν γὰρ ἀπίθανον, πεπλάσθαι γὰρ δοκεῖ, καὶ ἅμα καὶ ἐξίστησι· προσέχειν γὰρ ποιεῖ τῷ ὁμοίῳ, πότε πάλιν ἥξει. Ὥσπερ οὖν τῶν κηρύκων προλαμβάνουσι τὰ παιδία τὸ τίνα αἱρεῖται ἐπίτροπον ὁ ἀπελευθερούμενος; Κλέωνα.

Orator 195. Neque numerosa esse, ut poema, neque extra numerum, ut sermo uulgi, esse debet oratio. Alterum nimis est uinctum, ut de industria factum appareat, alterum nimis dissolutum, ut peruagatum ac uulgare uideatur; ut ab altero non delectere, alterum oderis. Sit igitur, ut supra dixi, nec dissoluta, nec tota numerosa... — 209. Genus autem hoc orationis [compositae] neque totum assumendum est ad causas forenses neque omnino repudiandum. Si enim semper utare, cum satietatem affert, tum quale sit etiam ab imperitis agnoscitur...

1408, 26. Τὸ δὲ ἄρρυθμον ἀπέραντον, δεῖ δὲ πεπεράνθαι μέν, μὴ μέτρῳ δέ· ἀηδὲς γὰρ καὶ ἄγνωστον τὸ ἄπειρον. Περαίνεται δὲ ἀριθμῷ πάντα· ὁ δὲ τοῦ σχήματος τῆς λέξεως ἀριθμὸς ῥυθμός ἐστιν, οὗ καὶ τὰ μέτρα τμητά. Διὸ ῥυθμόν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή. Ποίημα γάρ ἔσται. Ῥυθμὸν δὲ μὴ ἀκριβῶς· τοῦτο δὲ ἔσται ἐὰν μέχρι του ᾖ.

Orator 172. Is [Aristoteles] igitur uersum in oratione uetat esse, numerum iubet. — 187. Perspicuum est igitur numeris astrictam orationem esse debere, carere uersibus. — 228. Hanc igitur [compositionem]... adhibere necesse est,... non solum quod ait Aristoteles et Theophrastus, ne infinite feratur ut flumen oratio... — *Brutus* 32. Intellexit [Isocrates]... in soluta

1. Cf. notas editionum quas curauerunt Jahn et Wilkins; cf. etiam Jentsch, p. 36, et Wuest, p. 82.

Digitized by Google

oratione, dum uersum effugeres, modum tamen et numerum quemdam seruare deberi...

1408, 32. Τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικῆς ἁρμονίας δεόμενος, ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν· διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. Δεῖ δὲ σεμνότητα γενέσθαι καὶ ἐκστῆσαι. Ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος· δηλοῖ δὲ τὰ τετράμετρα· ἔστι γὰρ ῥυθμὸς τροχαῖος τὰ τετράμετρα. Λείπεται δὲ παιάν, ᾧ ἐχρῶντο μὲν ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι, οὐκ εἶχον δὲ λέγειν τίς ἦν. Ἔστι δὲ τρίτος ὁ παιάν, καὶ ἐχόμενος τῶν εἰρημένων· τρία γὰρ πρὸς δύ' ἐστίν, ἐκείνων δὲ ὁ μὲν ἓν πρὸς ἕν, ὁ δὲ δυὸ πρὸς ἕν. Ἔχεται δὲ τῶν λόγων τούτων ὁ ἡμιόλιος· οὗτος δ' ἐστὶν ὁ παιάν. Ὁι μὲν οὖν ἄλλοι διά τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι, καὶ διότι μετρικοί· ὁ δὲ παίαν ληπτέος· ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν, ὥστε μάλιστα λανθάνειν.

Orator 189. Senarios... et Hipponacteos effugere uix possumus; magnam enim partem ex iambis nostra constat oratio.— 191. Sunt... qui iambicum putent [apte cadere], quod sit orationi simillumus, qua de causa fieri ut is potissimum propter similitudinem ueritatis adhibeatur in fabulis; cum ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiae sit accommodatior. — 192-193. Quod longe Aristoteli uidetur secus, qui iudicat heroum numerum grandiorem quam desideret soluta oratio, iambum autem nimis e uulgari esse sermone. Ita neque humilem et abiectam orationem nec nimis altam et exaggeratam probat, plenam tamen eam uult esse grauitatis, ut eos qui audient ad maiorem admirationem possit traducere. Trochaeum autem, qui est eodem spatio quo choreus, cordacem appellat, quia contractio et breuitas dignitatem non habeat. Ita paeana probat eoque ait uti omnes, sed ipsos non sentire, cum utantur; esse autem tertium ac medium inter illos et ita factos eos pedes esse, ut in eis singulis modus insit

Digitized by Google

aut sexquiplex aut duplex aut par — 194. ... Ut uersum fugimus in oratione, sic hi sunt euitandi continuati pedes; aliud enim quiddam est oratio, nec quidquam inimicius quam illa uersibus; paean autem minume est aptus ad uersum, quo libentius eum recepit oratio. — *De Oratore* III 182. Cum sint numeri plures, iambum et trochaeum frequentem segregat ab oratore Aristoteles, Catule, uester, qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem sermonemque nostrum... Qua re primum ad heroum nos inuitat.

P. 1409 a, 10. Νῦν μὲν οὖν χρῶνται τῷ ἑνὶ παιᾶνι καὶ ἀρχόμενοι < καὶ τελευτῶντες >, δεῖ δὲ διαφέρειν τὴν τελευτὴν τῆς ἀρχῆς. Ἔστιν δὲ παιᾶνος δύο εἴδη ἀντικείμενα ἀλλήλοις, ὧν τὸ μὲν ἐν ἀρχῇ ἁρμόττει, ὥσπερ καὶ χρῶνται· οὗτος δ' ἐστὶν οὗ ἄρχει μὲν ἡ μακρά, τελευτῶσιν δὲ τρεῖς βραχεῖαι·

Δαλογενὲς εἴτε Λυκίαν

καὶ

χρυσεοκόμα Ἕκατε παῖ Διός.

Ἕτερος δ' ἐξ ἐναντίας, οὗ βραχεῖαι ἄρχουσιν τρεῖς, ἡ δὲ μακρὰ τελευταία·

Μετὰ δὲ γᾶν ὕδατά τ' ὠκεανὸν [ἠφάνισε νύξ.

Οὗτος δὲ τελευτὴν ποιεῖ· ἡ γὰρ βραχεῖα διὰ τὸ ἀτελὴς εἶναι ποιεῖ κολοβόν. Ἀλλὰ δεῖ τῇ μακρᾷ ἀποκόπτεσθαί.

Orator 194. Verba melius in syllabas longiores cadunt. — 215. Paean... quam commodissime putatur in solutam orationem illigari, cum sit duplex. Nam aut e longa est et tribus breuibus, qui numerus in primo uiget, iacet in extremo, aut e totidem breuibus et longa, in quem optime cadere censent ueteres... — *De Oratore* III 183. Probatur autem ab eodem illo [Aristotele] maxime paean, qui est duplex : nam aut a longa oritur, quam tres breues consequuntur, ut haec uerba *desinite, incipite, comprimite,* aut a breuibus deinceps tribus, extrema producta atque longa, sicut illa sunt *domue-*

Digitized by Google

rant, sonipedes; atque illi philosopho ordiri placet a superiore paeane, posteriore finire... Nunc ille clausulis aptiorem putat, quas uolt longa plerumque syllaba terminari.

P. 1409 a, 19. καὶ δηλήν εἶναι τὴν τελευτὴν μὴ διὰ τὸν γραφέα, μηδὲ διὰ τὴν παραγραφὴν, ἀλλὰ διὰ τὸν ῥυθμόν.

Orator 228. Oratio, quae non aut spiritu pronuntiantis aut interductu librari sed numero coacta debet insistere... — *De Oratore* III 178. Numeros quosdam nobis esse adhibendos [ueteres] putauerunt : interspirationis enim, non defatigationis nostrae neque librariorum notis, sed uerborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse noluerunt... — 181. Clausulas... atque interpuncta uerborum animae interclusio atque angustiae spiritus attulerunt; id inuentum ita est suaue, ut, si cui sit infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare uerba nolimus; id enim auribus nostris gratum est quod hominum lateribus non tolerabile solum, sed etiam facile esse posset[1].

69. Ceterum pleraque ab Aristotele mutuatum esse Tullium ei crimini non do, ut etiam Jahn assentiar, qui, in praefa-

1. Cf. Amsel, p. 5. « Quare non casui mihi dandum uidetur, quod ipsum Aristotelis nomen non addit, cum legem rhythmicam ab eo neglectam esse contendit *Orat.* 218 [= Rufin. 574, 28) : « Quare etiam paeana qui dixit aptiorem, in quo esset longa postrema, uidit parum, quoniam nihil ad rem est, postrema quam longa sit. »

Digitized by Google

tione quam *Oratori* (p. 22) praeposuit, eum laudat quod philosophicam Stagiritae doctrinam pro minutis rhetorum graecorum formulis, quas in opere *de inuentione* secutus erat, substituerit. Alios quoque imitatus est, nec poterat aliter, cum traderet nullum umquam scriptorem aeque copiose de compositione scripsisse (*O.* 226). Quaedam enim assumpsit Theophrasti. Quodam loco, haec scribit (*D. O.* III 184) : « Ego illud adsentior Theophrasto, qui putat... » Hic modo Theophrastum laudat. Praeterea scimus ex Dionysio Halicarnassensi[1] apud Theophrastum inuentorem numeri Thrasymachum indicari : hunc eumdem inuentorem numeri credidit Cicero (§ 83). Non tamen, credo, dicendum est, ut scripsit Jahn (*l. c.*), ex Theophrasti operibus Tullium hausisse praesertim. Rectius Jentsch, qui, perlustratis omnibus locis, in quibus nomen Theophrasti laudatur, monstrat nihil obstare quin ad Aristotelem reuocentur omnia (*op. cit.*, p. 39 sqq.). Mea quidem sententia[2], quae de antiquis scriptoribus tradidit, eos compositionis curam non habuisse (*O.* 186 sqq), denique quae ad historiam numeri pertinent, ea tantum a Theophrasto sumpsit Tullius.

70. Sed alium quemdam etiam secutus est. Etenim, quod notauit Wuest[3], trochaeum, quod χορδακικώτερον Aristoteles iudicat, dignitatem non habere (*O.* 193) asserit, idemque ditrochaeum praeclare cadere dicit (*O.* 213). Theophrastum autem, quem ceterum, ut supra dixi, de pedibus adhibendis Tullius non secutus est, uerisimile est utique magistri sui Aristotelis a sententia non discessisse. Cum uero ditrochaeus Asiaticos oratores in primis delectaret[4], sine dubio Tullius Asianorum praecepta sibi uindicauit. Commode Ernestus Mueller[5] monstrauit omnes clausulas, quae ex fragmentis Hegesiae excerpsit, cum Cicero-

1. Lysias VI, ed. Reisze V 464.
2. Cf. Morawski, *Quaestiones quintilianeae*, p. 22.
3. *Op. cit.*, p. 317.
4. Cf. § 52.
5. *De numero ciceroniano*, p. 53.

Digitized by Google

nianis optime conuenire[1]. Excipienda sunt tamen octo, quarum una monosyllabo uerbo terminatur : ἀγωνιῶ νῦν, altera personae nomine : τῆς μεγάλης Σιπυλεύς, et duae, quae finem faciunt breuiorum incisorum quam ut ex his aliquid collegi possit : λέγω, τὸ συνάγον ἀνθρώπους — σολοικισμὸς ἐποίει. Reliqua sunt quattuor clausulae tantum quae non ad meram clausulae formam redigi possunt : κύκλῳ γυμνόν — ἐλεεινοτέρα γέγονε — ζῶον ἕτερον ἁδρόν — ἀποθανόντες πεπόνθασιν. Praeterea notandum est pauca inueniri uerba, qui breui, longa, iterum breui, iterumque longa componuntur. Reliqua sunt sex et uiginti exempla :

Iambi : θάψασαί τινα τρόπον — ἐκκέκοπται πόλις.

Spondei : ἀγαθὴν ἄγομεν ἄλλην — κινδυνεῦσαι πρότερον οὕτως — ἱκετείας ἕνεκα πρᾶξαι — σκαιὸν ἐχθρόν — οὐκέτ' εἶδον — ἦσαν ὄψεις — οὐκέτ' οὖσαν.

Bacchaei : Σπαρτοὺς τεκοῦσαν — πρόσφατος ἐπὶ παλαιαῖς.

Molossi : ποιεῖ δὲ μαίνεσθαι — τραχύτητας ἔκραξεν.

Antispastus : συμφορὰ πεποίηκε.

Ditrochaei : ἁπαντᾶν εἰσιόντι — συνεκβαλεῖν καὶ τὸ πλῆθος — τύπτων τῇ μαχαίρᾳ — Λεόννατος καὶ Φιλωτᾶς — ἐκβάλοι τὴν σελήνην — ἥλιον ταῖς Ἀθήναις.

Verba ex quinque syllabis : μυρίους ἀνετράπησαν — βαρβάρων κατακοπῆναι — δεσπότην καὶ ἱκετεύων — κατελάβομεν, πόλιν καταλιπόντες.

Verba ex sex syllabis : πληγὴν οὐ καιριωτάτην — παρόντα μοι συνικετεύσειν.

71. Hae sunt eaedem clausulae quibus utitur Tullius, sed, propter immodicam ditrochaeorum et structurarum ut βαρβάρων κατακοπῆναι abundantiam, multo minor est uarietas quam apud Tullium[2]. Itaque Hegesias iure reprehenditur (*O.* 230 sqq.) ideoque arbitror non ab eo, quem penitus contempserat, sed ab alio quodam numeros Ciceroni traditos esse, fortasse, ut conie-

1. De his omnibus cf. opus Ludouici Havet de Symmacho, et meam thesim gallice scriptam.
2. Cf. Dionys. Halicarn. *de comp. uerb.*, XVIII, p. 250, ed. Schaefer.

Digitized by Google

cit Wuest[1], Molonis Rhodiensis, cuius praecepta exceperat, doctrina atque auctoritate commendatos. Argumento est quod, Quintiliano auctore, genus rhodium ex attico asianoque mixtum erat et quodam modo medium : « neque enim Attice pressi, neque Asiane sunt abundantes... (XII 10, 18). » Sed nec Hegesiam, nec Molonem, nec Magnetam, nec alium quem, si alium quem asianum auctorem secutus est, nominauit, quia Romae tum minime apud plerosque eorum gratia ualebat, minime autem apud Atticos, contra quos in libris quibus *Orator* ac *de Oratore* nomen inscribitur, Tullius repugnabat[2]. Contra auctoritate Aristotelis, Theophrasti, uel Theodecti tueri se poterat ab impugnationibus Calui, Bruti et aliorum aequalium, qui, cum alia Ciceronianae eloquentiae uitia, tum rythmicam compositionem uituperabant. Qua ratione ductus non dubitauit, ut notauit Fritzchius[3], ubique agere, iniuria forsitan ut mihi uidetur, quasi ea praecepta, quae solis Graecis data erant, Romanis etiam data fuerint, cum graeca lingua longis syllabis abundet, breuibus autem latina, et Graeci in orationibus de numeris tantum loquantur, Romani autem metiantur pedes metricos.

72. Caesi Bassi nomine pauciora nobis tradita sunt quam ut certum aliquid ex his efficere liceat. Sed cum, inter structuras laudet spondeum, iambum et spondeum (VI 310, 21), spondeum, iambum et anapaestum (22) spondeum, iambum et dactylum (24), duos iambos et spondeum (27), duos iambos et dactylum (28), creticum, iambum et spondeum (31), creticum, iambum et dactylum (34), creticum, iambum et anapaestum (36), creticum, trochaeum et spondeum (38), Tulli praecepta non solum memoria tenere, sed etiam accuratissime uidetur adhibere. Aiebat enim Cicero (*D. O.* 193)[4] : « Duo enim aut tres fere sunt

1. *Op. cit.*, p. 317.
2. Cf. Lantoine atque Plessis et Poirot *op. cit.* Cf. etiam § 84 sqq.
3. *Op. cit.*, p. 15. — Cf. § 7.
4. Cf. § 18.

Digitized by Google

extremi seruandi et notandi pedes, si modo non breuiora et praecisa erunt superiora. » Item, in *Oratore* (216) : « Cum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo, adiungo, quod minumum sit, proxumum superiorem, saepe etiam tertium. »

73. Hunc quoque secutus est Quintilianus[1]. Initio partis in qua de numero oratorio disserit se excusat quod hanc materiam post Tullium tractet[2]. « De compositione non equidem post M. Tullium scribere auderem, (cui nescio an ulla pars operis huius sit magis elaborata) nisi et eiusdem aetatis homines scriptis ad eum etiam litteris reprehendere id collocandi genus ausi fuissent, et post eum plures ad eandem rem pertinentia memoriae tradidissent. » Fatetur se plerumque accedere Ciceroni, ab eo tamen interdum dissentire[3]. Infra expressius scribit (79) : « Et quidem Ciceronem sequar. » Ei saepe adsentitur; eius iudicium saepe laudat : « Idque Cicero optime uidet (56). » De paeone quarto, Ciceronis auctoritatem Aristotelis anteponit, cum in sententiam Ciceronis concedat, a Stagyrita autem se separet (110-111). Ut ex omni hoc libro apparet, ambo de iisdem rebus disputauerunt atque eodem modo. Sed haec adeo nota sunt ut longiore demonstratione non egeant.

74. Minime tamen uni Tullio se addixit. Tullius tradiderat (*O.* 186) antiquos graecos scriptores compositionis curam non habuisse, ipsumque Herodotum ac Thucydidem totamque eam aetatem (*O.* 219), quae « apte numeroseque dixerunt, ea non numero quaesito, sed uerborum collocatione » attigisse. Fabius contrariam opinionem defendit. Cuius auctoritatem Ciceroni anteposuit? Inter graecos, nominat tantum Thrasymachum (87), Ephorum (87), Aristotelem (87, 88), Theodectem (88), Theophras-

1. Quid de fontibus Quintiliani ante hos nouissimos annos scriptum sit, apud Teichert (*op. cit.*) inuenias.
2. Cf. § 31, de iambo.
3. Cf § 45.

Digitized by Google

tum (88) et Dionysium Halicarnassensem (88)[1]. Quae de omnibus memorat, excepto Dionysio, apud Ciceronem inuenire potuit. E Dionysio autem multa sumpsisse testantur cum Claussen[2], tum Steinthal (II 350). Duobus locis praesertim Quintilianus cum Dionysio consentit. Non « mihi, inquit, quamlibet magnus auctor Cicero persuaserit Lysian, Herodotum, Thucydiden parum studiosos eius [numeri] fuisse. Genus fortasse sint secuti non idem, quod Demosthenes aut Plato, quamquam et ii ipsi inter se dissimiles fuerunt... (16-17) » Antiquos scriptores magnam compositionis curam habuisse Dionysius non semel contendit, ut notat Morawski (p. 22). *Cf. de comp. uerb.* 4, 18 : Τοῖς μὲν οὖν ἀρχαίοις ὀλίγου δεῖν πᾶσι πολλὴ ἐπιδόσις ἦν αὐτοῦ (sc. τοῦ συντιθέναι δεξιῶς). Cf. 5, 23 et *de adm. ui dic. Dem.* 36, 211 : πολλή τις ἐγένετο ἐν τοῖς ἀρχαίοις ἐπιθυμία καὶ πρόνοια τοῦ καλῶς ἁρμόττειν τὰ ὀνόματα... πλὴν οὐ τὴν αὐτήν γε πάντες ἐπετήδευσαν ἁρμονίαν· ὥστ' οὐδὲ κατὰ τὰς αὐτὰς ἦλθον ἅπαντες ὁδούς... Infra (79) confitetur Quintilianus Ciceronis auctoritatem se esse secuturum, « excepto quod pes mihi tres syllabas non uidetur excedere, quamquam ille paeone dochmioque, quorum prior in quattuor, secundus in quinque excurrit, utatur. » Eamdem quidem sententiam profert Dionysius (*de comp. uerb.* 17, 56). Ἁπλοῦς δὲ ῥυθμὸς ἢ ποὺς οὔτ' ἐλάττων ἐστὶ δυοῖν συλλαβῶν, οὔτε μείζων τριῶν. Hanc uero doctrinam Cicero nouerat, dum scribit (*O.* 218) : « Iam paean, quod plures habeat syllabas quam tres, numerus a quibusdam, non pes habetur. » Itaque a Dionysio forte eam non mutuatus est Quintilianus, etsi non dubium est ab eo multa sumpsisse. Igitur Fritzchius[3] non iniuria dicit Quintiliano Theophrastum fortasse et Theodectem fuisse auctores, cum eorum doctrinam Dionysium secutum esse Quintilianus uideatur inicere (88).

1. Cf. III 1, 16.
2. *Quaestiones quintilianeae*, Lipsiae 1873.
3. P. 15. — Cf. Ammon, *op. cit.*, p. 45 sqq., et Amsel, p. 4 et 6. Notat praeterea Amsel (p. 8) eum in hac operis parte non consentire cum Aristide « quem Quintiliani libertum fuisse verisimillimum est. »

Digitized by Google

75. Utique neque e Tullio neque e Dionysio ducere potuit quae de singulis clausulis praecepit, cum uterque de numero tantum loquatur. Haec tantum in scriptoribus qui de numero post Tullium opera composuerunt reperire potuit. Hos omnes legit, cum propter eos solum scribere se de compositione dicat[1]. Inter romanos auctores, praeter Ciceronem, solum Cornelium Celsum nominat (132, 137), sed ut eum reprehendat et refutetur. Ut Casimiri Morawski uerbis utar[2], « lubrica certe haec est disputatio, cum Celsi ars deperierit. » Mea quidem sententia, non multa Quintilianus sibi uindicauit ex libris huius uiri, cui plerumque non uidetur assentire. Eum autem arbitror, ut supra dixi (§ 11), multa assumpsisse ex illo Q. Remmio Palaemone, cuius discipulus fuerat et quem in grammatica tractanda imprimis secutus est[3]. Legimus quidem apud Keilium (VI 206), nomine Palaemonis inscripto, « artem de metrica institutione ». At non ipsius Palaemonis artem, sed librum ad usum scholarum ex Palaemonis arte a magistro quodam compositum nobis traditum esse persuasum habeo, quoniam omnia exposita sunt interrogatis et responsis breuibus ac simplicibus, quae haud difficile erat ad uerbum ediscere et memoria custodire.

76. De ceteris grammaticis[4] plerumque nihil certi asserere possum. Eos pluribus fontibus hausisse, siue auctores quos imitati sunt deinceps exscribunt, ut Probus[5], siue complures commentarios contaminant, Iubae instar[6], uidemus, sed non dicere licet quem sequantur, Palaemonem, Bassum, Vellium Longum, Verrium Flaccum aut Q. Terentium Scaurum, eorum operibus omissis, uel in totum, uel ex parte magna. Iubam

1. Cf. § 73.
2. p. 23.
3. Cf. Job, *op.*, *cit.* p. 24.
4. Non de fontibus loqui utile arbitratus sum eorum qui, ut Pompeium Messalinum aut Donatum nihil aliud fecerunt quam Ciceronem exscripserunt. Cf. §§ 27 et 80.
5. §§ 77-78.
6. §§ 59-60.

Digitized by Google

quattuor auctoribus usum esse monstraui. Horum unum saltem nominat, Probum (VI 628, 34)[1]. Forsan etiam Caesium Bassum exscripsit : easdem enim clausulas laudat fere eodem ordine.

Bassus VI 308, 31	Juba VI 628, 5
De compositionibus.	
Ex trochaeo et molosso,... ut *dolore compulsum.* Ex trochaeo et ionico minore,... *regina superorum.* Ex trochaeo et choriambo, *indigna perpetior*. Ex trochaeo et ionico maiore, *astra caelestia.*	Hi pedes, quotiens trochaeus locum paenultinum tenet, sunt congrui structuris, molossus, ut *natus Aeneas,* ionicus minor, ut *ipse Diomedes,* ionicus maior, ut *ipse Iunonius,* choriambus, ut *ite canticuli.*

Alios auctores ne coniectura quidem assequi nunc licet.

77. Quod ad Probum et Sacerdotem attinet, magis impedita est disceptatio. Quae ab illis de structura dicta sunt magna ex parte sunt similia[2] (IV 40, 15-43, 10 — VI 492,25-495,26); quaedam tamen intersunt. Sacerdos VI 492, 25 Quoniam igitur (*Quoniam* Probus IV 40, 15) 492, 27 structuris (*terminationibus* P. 40, 17) 493, 4 Quamquam igitur hac (*Hae quamuis* P. 40, 22) 493 12 uidelicet (om. P. 40, 30) 493, 12 Tullius (*Tullius ille* P. 40, 30) 493, 18 dactylo et ditrochaeo (*et ditrochaeo* om. P. 41,5) 493, 19 copulata (*communicata* P. 41, 5) 493, 19 trochaeo (*ditrochaeo* P. 41, 6) 493, 25 uersum heroicum hexametrum faciunt (*uersum heroici metri facient* P. 41, 12) 493, 31 pede (*uerbo* P. 41, 18) 494, 1 quale est exemplum et illud (*ut illud* P. 41, 20) 494, 2 liberat (*liberauerant* P. 41, 21) 494, 5 dixerint (*-runt* P. 49, 24) 494, 5 paenultimum uerbum (*paenultima* P. 41, 24) 494, 6 meas capsas (*meam capsam* P. 41, 6) 494, 9 nosmet nostrum (*nostrum*

1. Cf. § 18.
2. Totum secundum Sacerdotis librum exscripsit Probus.

Digitized by Google

nosmet P. 41, 27) 494, 9 breues, longas producentes (*breues et producentes longas* P. 41, 29) 494, 10 producentes et (*et* om. P. 41, 29) 494, 12 structurae, id est (*id est* om. P. 41, 31) 494, 16 nosceretur (*disceretur* P. 41, 34) 494, 16 uelim... deuitare (*deuitabo* P. 41,35) 494,18 Nunc igitur (*Nunc* P. 42, 1) 494, 33 epitritus quartus et dispondius, « contemnere persuadent » (*om. P.*) 494, 35 hippius tertius, id est epitritus, et hippius primus « prouincia recedentes » (*om. P.*) 495, 11 iste (*suus iste* P. 42, 28) 495, 17 corpore (*corpora* P. 42, 33) Itaque credo ambo eumdem auctorem exscripsisse, Sacerdotem quidem accuratius, cum quidam loci (41, 5-41, 21) apud Probum intelligi non possint, et ab eodem quaedam omissa sint (Cf. Sacerdotem 494, 33-494, 35). Quem uero exscripserint apparet ex his uerbis. « Est autem structura uerborum compositio dicta a struendo, id est componendo, unde structores compositores alicuius rei dicuntur. Hae quamuis in omni oratione seruari debeant, tamen maxime in uerbis duobus, nouissimo et paenultimo sunt delectabiliter componendae (IV 40, 21 — VI 493, 2). » Haec eadem rettulit Iuba (628, 34) Probi nomine, unde apparet a Probo minore Sacerdoteque Valerium Probum Berytium esse imitatione expressum. Item Probi nomine adscribit Rufinus (VI 577, 8) haec uerba : « Trochaeus et paeon tertius faciet illam structuram Tullio peculiarem *esse uideatur*, » quae apud Probum minorem (IV 42, 10) et Sacerdotem (VI 494, 28) inueniuntur eadem. Itaque ex *Arte* Probi Beryti omnia hausisse et Sacerdotem et Probum uerisimile est. Praeterea aut ipsi, aut auctor quem secuti sunt Tullio usus est (IV 40, 25 sqq. 41, 20-42,11 — VI 492,29-494, 2-494, 28) quem hoc tempore maxime auctoritate ualere arbitrandum est, cum, ad opinionem repudiandam, dicant solum Sacerdos et Probus (IV 41, 33 — VI 494, 15) : « Si hoc ita esset, non in tantum doctrina latuisset, ut eam Tullius ignoraret.[1] »

1. Fortasse quaedam mutuati sunt a Palaemone quem aliis locis expresserunt (Keil V, 335 sqq, 107); sed nil certi asserere ausim.

Digitized by Google

78. Sed postquam librarius, in Codice Bobiensi, nunc Vindobonensi, uerba scripserat : « Feliciter Ars Probi grammatici *sqq.* » alias structuras addidit quas[1] a Caesio Basso[2] mutuatas sine eo intelligi non posse monstraui. Ut diximus, auctores, quorum ex fontibus hauserat, deinceps modo exscripsit.

79. « E cuius grammatici Graeci auctoritate pendeat Diomedes, ait Amsel (*op. cit.*, p. 12), in tanta fontium penuria dici nequit. » Credo equidem de structuris eum latinorum modo grammaticorum aut rhetorum opera adhibuisse. Diomedem doctrinam a duobus auctoribus mutuatum esse monstraui, cum exposui quid de anapaesto, amphibrachy et dactylo nobis praeceperint grammatici[3]. Ex iis quae de spondeo[4] collegi apparet Diomedem secutum esse et Ciceronem et Quintilianum[5] et alium tertium cui longa satis est ante trochaeum anteposita. Cum autem Kummrow de Diomedis fontibus uerba facit[6], eum arbitratur exscripsisse librum, quo et Quintiliani et Isidori doctrina erat coniuncta. Quoniam Quintilianus multa ex Palaemone assumpsit[7] et nemo fere fuit grammaticus romanus qui Palaemonem, ut ait Job, « non adiret, excerperet, compilaret[8], » et denique opus, quod secutus est Diomedes, compositum est tempore quo, sine dubio, non desierant structuram rhetoricam reprehendere, ut ostendunt exempla, ex Ciceronis operibus excerpta, maximi oratoris, cuius auctoritate nitebantur qui structuras et usurpabant et defendebant, credo e Palaemone, qui primo post Augustum saeculo uitam egit, quaedam duxisse

1. Has laudauimus §§ 61 et 62.
2. Hic quoque Probus minus accurate scripsit. Cf. Probum IV 43, 15 et Caesium Bassum VI 309, 6.
3. Cf. §§ 36, 38, 39, 40.
4. § 31.
5. Praeterea ipsa exempla Quintiliani profert Diomedes. Cf. § 3, n. 21.
6. *Op. cit.*, p. 36.
7. Cf. Job, p. 24.
8. Cf. Job, p. 20.

Digitized by Google

Diomedem. Ceterum scimus Diomedem et Charisium multis locis inter se tam similes esse ut uerba uerbis respondeant[1]. Ex iis auctoribus uero quorum ambo nomina laudant, solus Palaemon Quintilianum aetate praecurrit.

80. Rufinus quidem non celare tentauit quae quibusque ab auctoribus mutuatus esset. Deinceps exscripsit omnia, adiectis nominibus scriptorum. Laudat praesertim Ciceronem; Quintilianum (VI 568, 4), Diomedem (568, 12), Charisium (572, 18), Victorinum (573, 18), Terentianum Maurum (575,3), Pompeium Messalinum (575, 10), Donatum (577, 1), Probum (577, 8) plerumque commemorat, quia Ciceronis uerba exscripserunt; ipse uersus suos composuisse uidetur ad illustrandos Ciceronis locos, ut, in summa, Ciceronem solum secutus sit. — Martianus Capella sine dubio Ciceronem quoque legit, quem reprehendit quod pedes « permixta confusione conturbat, dum dicit modo ditrochaeo concludendum, modo paeonem primum probat incipientibus, modo finientibus, modo dochmium, qui constat ex breui, duabus longis, breui et longa, cuius exemplum posuit *amicos tenes;* item amphimacrum pedem et rursum dactylicum numerum laudat : modo anapaesticum, modo dithyrambum laudat, nec tamen certa sententia est (433, 7 sqq.). » Praeterea notandum est a Capella tantum et Basso syllabas isdem legibus produci, quibus utebantur poetae (§ 23), ut uerisimile sit Capellam Bassum quoque secutum esse. Nil amplius asserere ausim de fontibus Capellae, cum, ut notaui, plura de numero interciderint. Tandem, quod ad Iulium Victorem attinet, pauciora dixit quam ut nobis documenta certa de prioribus auctoribus, quos imitatus est, praeberet.

81. Ceterum, quod ad uniuersos attinet, praesertim e quattuor fontibus, Cicerone, Quintiliano, Palaemone, Proboque,

1. Keil I, XLV sqq. Cf. etiam § 43.

Digitized by Google

quantum affirmare licet, uidentur hausisse. Sed plerumque, cum commentarios diuersos contaminauerint, quid e quoque mutuati sint dignoscere est perdifficile. Igitur ne hac uia quidem aliquid certi concludere possumus de fide quae singulis rhetoribus ac grammaticis sit adhibenda.

Digitized by Google

PARS IV

QUID DE HISTORIA STRUCTURAE RHETORICAE NOS DOCEANT GRAMMATICI AC RHETORES LATINI

82. Ex operibus grammaticorum et rhetorum latinorum non ediscere modo licet quae fuerint leges structurae rhetoricae, sed etiam deprehendere quando sit orta, quo tempore apud Romanos recepta, quo fauore accepta. Apud Keilium inueniuntur, a grammatico quodam ex Ciceronis operibus excerpta, nomina scriptorum graecorum qui de compositione et numeris et pedibus oratoriis scripserunt (VI 573, 22), « Thrasymachus, Naucrates, Gorgias, Ephorus, Isocrates, Theodectes, Aristoteles, Theodorus Byzantius, Theophrastus, Hieronymus. » Omnes enim nominantur a Cicerone ac plerumque non semel.

83. Serius in mentem uenit uerba componere, ut aptior esset oratio. « Scriptores perueteres de numero nihil omnino, de oratione praecepta multa nobis reliquerunt (*O.* 186. Cf. *Brutus* 68). » Quis uero huius artis auctor fuerit, primo incertum uidetur. Consentiunt quidem Tullius (*O.* 185-186) et Fabius (16), compositionis artem omnium ultimam contigisse. At Cicero scribit in libris, quos *de Oratore* edidit (173) : « Idque [clausulas] princeps Isocrates instituisse fertur. » Eadem censet in *Brutо* (32); dicit autem in *Oratore* (174-176) : « Neminem in eo genere [de numero loquitur] scientius uersatum Isocrate

Digitized by Google

confitendum est, sed princeps inueniendi fuit Thrasymachus, cuius omnia nimis exstant scripta numerose. Nam, ut paulo ante dixi, paria paribus adiuncta et similiter definita itemque contrariis relata contraria, quae sua sponte, etiamsi non agas, cadunt plerumque numerose, Gorgias[1] primus inuenit, sed eis usus est intemperantius (Cf. 39). » Ex his intelligere licet numerum — non quod numerosum est[2] — a Thrasymacho inuentum esse, sed hoc numero inuento Isocratem usum esse temperantius, ut corrigeret quae in aliis nimia essent aut immodica et praecepta uere poneret oratorii numeri et quae illi praeceperant quodammodo obscuraret[3]. Eodem tempore hanc materiam persequebatur Theodorus Byzantius (*O.* 39). Isocratis autem disciplinam exceperunt Ephorus et Naucrates (*O.* 172 Q. 87), Ephorumque scimus dactylum probauisse et paeonem inuentum a Thrasymacho singulis orationis partibus aptum iudicauisse, sed fugisse spondeum et trochaeum (*O.* 191, 192, 194, 218), omnesque, ut Quintiliani uerbis utar (87), « in hac opinione... fuisse, ut alios pedes... eligerent aliosque damnarent, quasi ullus esset, quem non sit necesse in oratione deprehendi. » His successit Aristoteles, cuius praecepta secuti sunt Cicero apud Latinos[4] et Dionysius Halicarnassensis apud Graecos, ne commorari opus sit in ipsius discipulis Theodectem, « polito scriptore atque artifice », et Theophrasto, qui de numero accuratissime scripsit[5], quoniam, Cicerone teste, cum

1. De Gorgia, numeri inuentore, nullam mentionem facit Aem. Scheel, *De gorgianae disciplinae uestigiis*, 1890, Rostochii (diss.), in-8°, 60 pp. De Thrasymacho, cf. Hermann, *op. cit.*, p. 10.

2. Cf. praefationem.

3. Eadem sentit Fritzschius et addit numeros omnes in orationem e lyrica poesi primum esse translatos (*op. cit.*, p. 6 sqq. — Cf. *de Oratore*, 185). — De numero haec tantum Isocratis praecepta accepimus, sine dubio ex *Arte Rhetorica* excerpta : ὅλως δὲ ὁ λόγος μὴ λόγος ἔστω, ξηρὸν γάρ, μηδὲ ἔμμετρος, καταφανὲς γάρ, ἀλλὰ μεμίχθω παντὶ ῥυθμῷ (Schol. apud Spengel, *Artium scriptores*, p. 162). Cf. Peters, *op. cit.*

4. Cf. § 68.

5. Cf. Rufinum, Keil VI 567, 21.

Digitized by Google

Aristotele de numero consentiunt[1] ambo (*O.* 172, 194, 218, 228). Laudat praesertim Tullius Theophrastum, quod putauerit « orationem, quae quidem sit polita atque facta quodam modo, non astricte, sed remissius numerosam esse oportere (*D. O.* III 184). » Non multo post Hieronymus peripateticus malitiose ex Isocratis operibus uersus eligebat, uerisimiliter ut Isocratis laudem simulque rhetoricae structurae artem eleuaret (*O.* 190). Interea rhetores Asiani[2] nouas structuras usurpabant, praesertim ditrochaeum[3], quem ab eis Tullius uidetur esse mutuatus; sed et nimis numeris seruiebant et eamdem structuram semper sequebantur[4], ut Hierocles et Menecles (*O.* 229 sqq.).

84. Quando autem numeri adoptati sint a Romanis, haud facile indicauerim. Numerum oratorium ueteres non nouerant (*O.* 178) etsi asserit Quintilianus « Latinos magis indulsisse compositioni quam Atticos (145); » etiam paulo ante Ciceronis aetatem huius artis Romani imperiti erant, cum Catonis orationibus numerum addere Tullius uelit (*Brutus* 68), etsi Diomedes, ludibrio verisimiliter[5], de structura antiqua loquitur, qua Cato usus est (I 472, 3). « Contra, ait Mueller[6], C. Carbonem, qui Sullae aequalis fuit, numeris usum esse Cicero certe credidit. Qui cum affert celeberrimum locum ex eius oratione, dichoreo hoc tribuit, quod tantus illum applausus populi secutus sit. Sed Cicero in *Oratore* de numero disserens non plane integer testis est habendus; cum enim numeros suos, qui cum aliis multis displicebant, tum M. Bruto, ad quem *Orator* scriptus est, contra obtrectatores defendere studeret, dixit numero deberi illum applausum qui fortasse reuera apta enuntiatorum coniunctione et sententarium grauitate excitatus est. Etiam

1. Cf. § 69.
2. Cf. Erd. Mueller, *op. cit.*, p. 52 sqq.
3. Cf. §§ 52 et 70.
4. Cf. § 70.
5. Cf. § 63.
6. *De numero ciceroniano*, p. 55.

Digitized by Google

numerus ille creticus, quem Cicero in Fannii oratione obseruauit, fortasse casui debetur, cum talia saepenumero sua sponte fiant. » Eo magis Ernesto Mueller adsentior, quod Tacitus asserit primum Tullium uerbis dilectum adhibuisse « et compositioni artem (*Dial. d. Or.* 22). » Utique nonnulli inter Ciceronis aequales clausulae artem nesciebant (*D. O.* III 298), quae in uolgari disciplina adhuc non uersabatur (*ib.* 188), ut iure Tullius gloriari potuerit quod plura de numerosa oratione dixerit quam quisquam ante se (*Or.* 226), qui Aristotelis praecepta Romanos docuerit et praesertim ea quae contra hanc nouam artem tunc dicebantur diluere tentauerit.

85. Multis enim non placebat haec ars noua, a Cicerone non inuenta quidem, sed patefacta rursus. Non Tullio deerant, ut Taciti uerbis utar, obtrectatores[1] (*Dial. de Or.* 18) et multi praecipue eius curam in sententiis adhibendis uituperabant (*Q.* XII 1, 22). « Nec Cicero [satis perfectus uidetur] Bruto Caluoque, qui certe compositionem illius etiam apud ipsum reprehendunt (IX 4, 1). De compositione non equidem post M. Tullium scribere auderem, nisi et eiusdem aetatis homines scriptis ad ipsum etiam litteris reprehendere id collocandi genus ausi fuissent (IX 4, 53). Cicero frequentissime dicit totum hoc constare numeris ideoque reprehenditur a quibusdam, tanquam orationem ad rhythmos alliget. » Qui sint hi obtrectatores, adeo notum demonstratumque est ut demonstratione non egeat : utilius fore arbitror, si ea percensuero quae contra numerum disputabantur, duce Ciceronis libro, qui *Orator* inscribitur, quem composuit ut responderet ad opera, a Caluo Cornificioque edita[2].

86. Primum aduersus Ciceronem obiciebant obtrectatores hoc, quod apud Romanos plurimum ualebat, qui cum in re publica, tum in litterarum studio, « laudatores temporis acti »

1. Cf. Jahn, *Oratoris* praef. p. 8, 10, 21.
2. Cf. Plessis-Poirot, *op. cit.*, p. 83 sqq.

Digitized by Google

maxime se praebebant. « Non erat hoc apud antiquos (*O.* 168). » Respondet Cicero nihil aliud fere non esse apud eos. Ad haec aduersarii : « Hoc me ipsum delectat. » — « Quid, respondet Tullius, si antiquissima illa pictura paucorum colorum magis quam haec iam perfecta delectet, illa nobis sit, credo, repetenda, haec scilicet repudianda... Nec ego quod deest antiquitati flagito potius quam laudo quod est... » Finem facit his uerbis, moderatis simul atque rectis (169) : « Post inuenta conclusio est, qua credo usuros ueteres illos fuisse, si iam nota atque usurpata res esset, qua inuenta omnes usos magnos oratores uidemus. » Sic alternos sermones audimus, ut Cicero uerbum uerbo, par pari respondeat. Obiecta erant fere eadem, cum Archiae patrocinium susceperat, et prope eodem modo ea, quae contra dicta erant, refellerat (*Pro Archia* 15).

87. Hac parte exclusi, pugnam alio modo restituebant aduersarii. Haec omnia ineptiae sunt, aiebant; non operae pretium est clausulis operam dare et tempus consumere in pedibus dimetiendis, syllabis dinumerandisque uerbisque componendis (*O.* 147 et 187). Ut hoc crimen effugeret et monstraret eminentissimos philosophos his ineptiis curam adhibuisse, auctores omnes huius artis, Theophrastum, Theodectem ac praesertim Aristotelem, « omnium doctissimum, omnium acutissimum, in rebus uel inueniendis uel iudicandis acerrimum, qui praesertim infense Isocrati aduersatus est » nominauit (*O.* 172). Reuera, cum hæc difficilia sint ad persequendum, ineptiae nominantur ab iis qui non intelligunt et numeri uim uidentur ignorare (*D. O.* III 188).

88. Ceterum in hac contradictione non diu immoratus est Cicero, quia eam, ut ita dicam, labefactabant ipsi aduersarii (*O.* 170). « Habet nomen inuidiam, cum in oratione iudiciali et forensi numerus inesse dicitur. Nimis enim insidiarum ad capiendas aures adhiberi uidetur, si etiam in dicendo numeri ab oratore quaeruntur. » Notare Cicero poterat aduersarios

Digitized by Google

suos sibi non plane constare, cum, si numerus ineptiae sint, nihil possit in auditores, sin ualeat multum, non ineptiae sint. Locutus est tantum : « Si inanibus uerbis leuibusque sententiis [composita pronuntiantur], iure [reprehendunt]; sin probae res, lecta uerba, quid est cur claudere aut insistere orationem malint quam cum sententia pariter excurrere ». Et hoc addebat, quod Romanis permagni erat momenti, qui Urbem, ut bello et armis, ita litteris et arte omnibus gentibus, praesertim Graecis, praeesse auebant (171) : « Et apud Graecos quidem iam anni prope quadringenti sunt, cum hoc genus probatur, nos nuper agnouimus. »

89. Ne aurium delectatio iudicium corrumpat, quidam aiebant, saltem numerus in orationem multa uitia importabit (*O.* 231). Verbum traiciet orator, infarciet uerba quasi rimas expleat, delumbabit sententias, concidet numeros et semper eodem modo clausulas terminabit. At horum uitiorum, respondet Cicero, primum carpi potest uel apud scriptores qui structurae rhetoricae artem non nouerunt et numerum non adhibuerunt, ut L. Caelium Antipatrum (230). Aliud est Asiaticorum, apud quos « inculcata reperias inania quaedam uerba quasi complementa numerorum. » Infringere et concidere numeros praecipue Hegesiae uitium est, quem non omnibus in partibus expressit Tullius[1]. Tandem quidam Asiatici, quorum principes fuerunt Hierocles et Menecles, omnia fere concludebant uno atque eodem modo (231). Sed haec omnia uitia uitare non perdifficile est eaque plerumque elusit Cicero, ut non sit aequum ei uitio uertere[2] quae in priores oratores, asiaticos, praesertim, conuertenda erant.

90. Addit quidem Cicero, summa prudentia praeditus uir, « non modo non frequenter, uerum etiam raro in ueris cau-

1. Cf. § 70.
2. Cf. Tac., *Dial. de Or.* 21.

Digitized by Google

sis aut forensibus circumscripte numeroseque dicendum esse (221), » et iis qui numerum adhibeant modum quemdam tenendum esse (*D. O.* III 190 — *O.* 195). Haec refert eis qui uersute ac solerter in clausula reprehendebant quod perdifficile uideretur in oratione seu extemporali, seu meditata, omnes clausulas terminare pro rigidioribus praeceptis. « Non tamen, respondet Cicero (*D. O.* 190) hoc tanti laboris est, quanti uidetur, nec sunt haec rythmicorum aut musicorum acerrima norma derigenda. » Itaque adulescentes ad hanc artem formari poterunt, cum exercitatione, tum stilo, qui, ut ait ipse Tullius, optimus est dicendi et magister et effector. Argumento est quod « Antipater ille Sidonius... solitus erat uersus hexametros aliosque uariis modis atque numeris fundere ex tempore tantumque hominis ingeniosi ac memoris ualuit exercitatio, ut cum se mente ac uoluntate coniecisset in uersum, uerba sequerentur (*D. O.* III 194). » Quanto facilius consequentur oratores numerum, exercitatione adhibita!

91. Postquam Tullius amolitus erat singula, quae ad insolentiam, momentum aut difficultatem numeri pertinebant, aduersarios, qui eius dicendi rationem uituperare numquam destiterant, Atticos nomino[1], et ipse aggressus est. Exemplis propositis, cum in lucem protulisset quantum sit apte structuram clausula terminare, haec addit (*O.* 234) : « Hoc modo dicere nemo umquam noluit, nemoque potuit quin dixerit; qui autem aliter dixerunt, hoc assequi non potuerunt; ita facti sunt repente Attici. Quasi uero Trallianus fuerit Demosthenes, cuius non tam uibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur... (235) Ut plane genus hoc quod ego laudo contempsisse uideantur, aut scribant aliquid uel Isocrateo more uel quo Aeschines aut Demosthenes utitur, tum illos existumabo non desperatione formidauisse genus hoc, sed iudicio refugisse. »

1. Cf. Quint. XII 10, 16.

Digitized by Google

Breuiter tandem contrahebat quod de numero sentiebat his uerbis, quae proxima sunt illis quae supra memorauimus[1]. « Composite et apte sine sententiis dicere insania est, sententiose autem sine uerborum et ordine et modo infantia, sed eius modi tamen infantia, ut ea qui utantur non stulti homines haberi possint, etiam plerumque prudentes; qua qui est contentus, utatur (236). »

92. Haec omnia sine dubio aut exponebantur aut refutabantur ab aequalibus Ciceronis qui hanc materiam tractabant (*O.* 180, 199, 204), aut ab eis qui, teste Quintiliano, post Ciceronem « ad eamdem rem pertinentia memoriae » tradebant[2] (1). Scimus (Keil VI 573, 26) Varronem de clausula composuisse opus, quod amissum est. Utique eadem reprehendebantur Ciceronis aut Quintiliani Tacitique temporibus. Etenim, exempli causa, haec apud Tacitum legas (*Dial. de or.* 23) : « Nolo irridere. . illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum *esse uideatur.*[3] » Tulli numerique simul causam defendit Quintilianus, etsi interdum, ut notauimus, a Tullio dissentit[4].

93. Quidam « omnem compositionis curam excludebant, atque illum horridum sermonem, ut forte fluxisset, modo magis naturalem, modo etiam magis uirilem esse contendebant (3). » Sed, ut primum non iniuria notat Quintilianus, « si id demum naturale esse dicunt, quod a natura primum ortum est et quale ante cultum fuit, tota haec ars orandi subuertitur, » cum primi homines « proemiis praeparare, docere expositione, argumentis probare, affectibus commouere » nescierint (4). Addit in numeris

1. Cf. § 86.
2. Cf. Quintiliani uerbum, supra laudatum (§ 84), « Latinos magis indulsisse compositioni quam Graecos. »
3. Meminerimus a quibusdam carpi ipsum uocabulum numerum (cf. p. v), et quosdam non delectare uerba ex quinque syllabis quae usurpauerat Tullius (§ 44).
4. Cf. §§ 44 et 74.

Digitized by Google

esse quamdam tacitam uim ac potentiam ideoque numerosas orationes acrius ad aures peruenire et animum mouere, instar fluminis cuius est uehementior « cursus prono alueo ac nullas moras obiciente, quam inter obstantia saxa fractis aquis ac reluctantibus (7)» aut hastae, quae speciosissime contorta longius fertur (8). Multa alia exempla addit, quae enumerare longum est. Tandem haec ars compositionis tota pendet e numeris et modis. « Nihil autem intrare potest in affectibus, quod in aure uelut quodam uestibulo statim offendit, deinde quod natura ducimur ad modos (10)... quantumque interest, sensus idem quibus uerbis efferatur, tantum uerba eadem qua compositione uel in textu iungantur uel in fine claudantur(13). »

94. Non secus uero ac Tullius, Quintilianus, uir, ut doctus, sic prudens, etsi reuera numerum laudat, intellexit apud quosdam hunc nimium fore atque immodicum, ut mox accidit[1]. Qua ratione ductus haec scribit. « Non minore... cura uitandum est, quidquid est ἔνρυθμον (77) » et infra (112) : « Totus uero hic locus non ideo tractatur a nobis ut oratio, quae ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus ac perpendendis syllabis consenescat[2]; nam id cum miseri tum in minimis occupati est, neque enim, qui se totum in hac cura consumpserit, potioribus uacabit, si quidem, relicto rerum pondere ac nitore contempto, *tesserulas*, ut ait Lucilius, *struet* et *uermiculate inter se lexis committet*[3]. Nonne ergo refrigeretur sic calor et impetus pereat... ? » Cum alii timerent ne numerus aliquid de candore aut breuitate orationis tolleret, Quintilianus iubet numerum nec sententiis nec elocutioni nocere (58-59). Tandem meminit quosdam oratores, ut Domitium Afrum, qui, refugientes « teneram delicatamque modulandi uoluptatem », currentibus sponte numeris obiciebant, nedum clausula rhetorica uterentur (31).

1. Cf. § 95.
2. Cf. Ciceronis *Oratorem* §§ 147 et 187.
3. Haec Lucili uerba etiam a Cicerone laudata sunt (*Brutus* 274).

Digitized by Google

Illius uero opinionem ne paucis quidem uerbis refellit, ut inferre liceat, centum annis post Ciceronem, non omnes laudare numerum in oratione, sed perpaucos eum reicere, cum de horum sententia ne disputetur quidem.

95. Mox, ut uidetur, desitum est aduersus clausulam rhetoricam multa dicere : argumento est quod non iam auctores de numero, nomen Aristotelis apponentes, sed de structura locuntur[1]. Contra ea usi sunt intemperantius. Etenim a Sacerdote (VI 493, 6) et Probo (IV 40, 24), fere initio partis in qua de structura praecepta dant, haec scribuntur : « Antiqui quidem oratores, in quibus maxime Tullius, numquam necessariis sensibus praeposuerunt orationis structuram, sed magis fortiter et graui compositione quam molliter uel laxe dicere maluerunt, et, cum haberent occasionem sic struendi, quemadmodum nostri temporis homines delectantur, tamquam de industria usi sunt structura forti potius quam delectanti, sicut exemplis Tullianis probare breuiter poterimus. » Hoc significat aequales Sacerdotis atque Probi clausulam presso uehementique generi dicendi saepius praeferre. Eadem apparent ex scriptis Diomedis; si illi credas, clausula « gratiam orationis inluminatam exornat (I 464, 26); » nihilominus tamen illi in memoriam scriptorum eiusdem temporis reducendum est « prosam orationem non seruire uerbis, sed imperare debere (I 468, 29) » et « nimiam artis opinionem fugiendam esse (471, 12), » denique cunctas structuras « non phaleris sed uiribus » esse componendas (471, 28). Item Victor (433, 19 sqq.) : « Nec uero ad hanc diligentiam redigimus oratorem, ut in structura semper pedes singulos conspiciat et collocet; erit enim maximi res impedimenti et tarditatis... Maxime... fugiendum est id uitium, quo in oratione nihil turpius est, cum cessanti numero uerba inania non rei augendae, sed structurae tantummodo implendae causa subueniant... »

1. Cf. § 7, n. 2.

Digitized by Google

Non isdem uero clausulis quae Ciceroni placebant, delectabantur, ut nonnumquam monstraui[1], nec mirum cum ipsius Ciceronis doctrinam de clausulis non satis certam arbitrarentur[2].

96. Nunc rationem reddere possumus, cur Cicero fusius de natura numeri oratorii disseruerit, tam properanter singulos pedes percensuerit et ubique sic egerit quasi ea praecepta, quae solis Graecis Aristoteles Theophrastusque dederant, Romanis etiam fuerint data omnia. Primus numerum oratorium « Latio intulit »; nonne exponere necesse erat unde oriatur, quid sit, quam praebeat utilitatem? Simul plerisque hanc artem aut neglegentibus aut dedignantibus, et contradicta dissoluere eum oportebat et in latinam linguam uertere eadem quae praeceperat Aristoteles, ne reprehenderent eas clausulas quas ipse reperisset et in orationibus usurpauisset aduersarii, qui Aristotelis auctoritati obicere nil audebant. Mox sensim diffunditur structurae rhetoricae ars ut quidam ex iis qui ad Ciceronem scribebant numero usi esse uideantur[3]. Itaque Quintiliano plura dicere de singulis pedibus licitum est, cum tamen eadem obiecta non referre non posset. Paulo post compositionibus nemo fere aduersatur, ut grammatici tertii ac quarti saeculi, Sacerdos, Probus, Diomedes, Iuba, iam tamtummodo de singulis pedibus aut structuris loquantur.

1. Cf. §§ 28, 29, 35.
2. Verba Martiani Capellae (476, 7 sqq.) laudaui § 80.
3. Cf. Gall. thesim.

Digitized by Google

CONCLUSIO

Ne multa inter se conveniunt grammatici ac rhetores, qua in parte orationis usurpanda sit clausula[1]; congruunt etiam de quibusdam structuris[2], ita tamen ut ea quae dicunt non dilucide explicentur[3] aut saepe exempla cum praeceptis non consentiant[4]. Plerumque uero nulla praecepta dant de eis quae nobis curae sunt aut editis praeceptis non semper fidem adiungere licet. Etenim, ut apparet ex iis quae de singulis pedibus tradiderunt[5], cum permixte Ciceronem, Palaemonem, Quintilianum aut Probum sequantur[6], pariterque structuras suis temporibus placentes percenseant, quibus perraro scriptores usi sunt, quidnis apud eos reperias nec saepe[7] perspici licet cui maxima fides sit adiungenda. Igitur ad structuram rhetoricam in scriptoribus inspiciendam, ex iis pauca uidentur mihi esse capienda, donec, perspectis apud omnes scriptores structuris, comparare

1. Cf. § 16 sqq.
2. § 58.
3. §§ 32, 33, 35, 42 n., 44, 46, 56, 62.
4. §§ 32, 33, 36, 39, 43, 47, 52, 55.
5. Cf. § 34.
6. § 81.
7. Cf. §§ 34 et 41.

Digitized by Google

liceat[1] structuras ab his usurpatas et a grammaticis rhetoribusque eiusdem aetatis laudatas. Nihilominus operae pretium est non iam apud rhetores et grammaticos persequi quae nos docere non possunt, ne omittam utique ex eorum libris, saltem aliqua parte, deprehendi quid senserint et praeceperint de structuris oratoriis ii ipsi qui eas adhibebant.

VIDI AC PERLEGI,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, idibus dec.
ann. MDCCCXCVII,
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR,
Academiae parisiensis Rector,
GRÉARD.

1. Cf. § 65.

Digitized by Google

ADDENDA ET CORRIGENDA

P. v, ad titulum, adde notam : cf. Norden, *op. cit.*, p. 953.

P. x, post Neumann, adde : Ed. Norden, *d. antike Kunstprosa vom VI. Jahrh. v. Christ b. in die Zeit. d. Renaissance*, 1898, Leipzig, B. G. Teubner, 2 vol. in-8°, xviii-969 pp.

P. 3 lin.	9	loco : mulclant	leg. :	mulceant
	13	mentio		nuntio
n.	1	omni		amni
7 lin.	5	laudauerit		laudauit
17	29	*indicabant*		*iudicabant*
19	12	fugendis		fugiendis
	22	rhetoribus		rhetorum
21	27	peudente		pendente
	34	eolo		colo
23	24	Inlius		Iulius

28 post uersus laudatos Mauri, adde notam : cf. Norden, *op. cit.*, p. 928.

32 lin.	8	loco : rylhmum	leg. :	rythmum
	15	censit		censet
n.	1	queem		quem
34 lin.	2	haurisse		hausisse
	24	*facerat*		*fecerat*
36	2	quartus		quarti
	7	clausulum		clausulam
	11	breum		breuem
37	18	*fluctuentibus*		*fluctuantibus*
42	6	facient		faciet
50	3	penultimi		paenultimi
52	6	Tuba		Iuba
53	6	quartum		quarum
57 n.	1	adde : cf. Norden, *op. cit.*, p. 924.		
77 lin.	3	loco : dclectat	leg. :	delectat.

Digitized by Google

INDEX RERUM

Pag.

PRAEFATIO I

Qui auctores quibusque in locis de structura rhetorica locuti sint. III
Quibus uocabulis usi sint rhetores atque grammatici V
Quibus libris usus sim VII

PARS I. — DE NUMERO.

I. Quae sit numeri causa 1
II. Quae sit numeri natura 5
III. Qua in parte orationis numerus sit ponendus 10

PARS II. — DE CLAUSULIS.

I. Quo ordine quibusque legibus de clausulis disserendum sit. 14
II. De singulis clausulis 19
De monosyllabis uerbis 20
Disyllaba uerba 22
Pyrrichius et iambus 22
Spondeus et trochaeus 23
Trisyllaba uerba 29
Tribrachys et anapaestus 30
Amphibrachys et bacchius 32
Dactylus et creticus 34
Molossus et antibacchius 36
Tetrasyllaba uerba 39
Paeon IV et proceleusmaticus 40
Paeon III et ionicus minor 41
Paeon II et diiambus 43
Antispastus et epitritus I 43
Paeon I et choriambus 44
Ditrochaeus et epitritus II 44
Ionicus maior et epitritus III 46

Digitized by Google

Pag.

Epitritus IV et dispondeus 47
Verba ex quinque syllabis 47
Verb. ex sex syllabis 49
Quid it concludendum 49
III. De clausularum partitionibus 50

PARS III. — DE FONTIBUS GRAMMATICORUM ATQUE RHETORUM.

Cicero 56
Caesius Bassus 64
Quintilianus 65
Iuba 67
Probus et Sacerdos 68
Diomedes 70
Rufinus 71
Martianus Capella 71

PARS IV. — QUID DE HISTORIA STRUCTURAE RHETORICAE NOS DOCEANT GRAMMATICI AC RHETORES LATINI 72

Conclusio 84
Index rerum 87

Rennes, imp. FR. SIMON (316-98).

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MAY 2 0 1914
MAR 30 1914

Digitized by Google

5271.36
Quid de structura rhetorica praecep
Widener Library 002900312
3 2044 086 580 172

Digitized by Google